LX.6[illegible]

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/deliciaeitaliaee00quad

DELICIÆ ITALIÆ
ET
INDEX VIATORIVS, INDICANS ITINERA, AB VRBE ROMA, AD OMNES IN ITALIA, ALIQVAS QVOQVE EXTRA ITALIAM CIVITATES ET

oppida; quorum indicantur DELICIÆ, ſivè quid in eorum ſingulis delicati, rari viſuque digni ſit: nempe TEMPLA ob ſtructuram magnifica: DELVBRA ob artem ſpectanda: PALATIA ÆDIFICIAQVE ob amplitudinem præclara: PICTVRÆ excellentium Artificum: STATVÆ eleganter ſculptæ, quicquid præterea vbique in ITALIA, vel antiquitate rarum vel arte præclarum eſt. De quibus Viator haud commonefactus admonituſve talia extare in locis per quę iter facit, plerumque præterit negligitque talia, cuius ipſum poſteà pudet pigetque negligentiæ.

HVIC LIBELLO VISVM FVIT ADDERE TABELLAS GEOGRAPHICAS ITALIÆ aliquarumque circa ipſam Inſularum, quod ſine Tabellis Geographicis Viator oberret tanquam denſa in Sylva, unde non patet proſpectus. Eæ autem omnia ipſi ponunt ob oculos, funguntúrque Theſei Fili officio munereque.

AVTHORE CYPRIANO EICHOVIO.

f. a. g.

Vrſellis, Ex Officina Typographica Cornelij Sutorij.

ANNO M.DCIII.

INDEX ITINERVM HVIVS LIBELLI

ITER ROMA Roncilionum, Viterbum, Montem Faliſcorum, Vulſinam, Aquampendentem, San Quiricum, Volaterras, Labronem vulgo Liverno, Folio 3. & ſequentibus.

ITER ROMA, Senas, Piſas, Petram ſanctam, Sarſanam, Genuam, Savonam, Finarium, vulgo Final, Albingaunum, vulgo Arbenga, Tagiam, Albiniminium, vulgo Vintimilia, Niceam, vulgo Niza, provinciæ oppidum. Folio 6.

Cevam Fol. 13.

Avennionem Fol. 14.

Alexandriam, Aſtam, Taurinum, Pedemontani Principatus, Metropolim, Suſam, indeque Avennionem, Fol. 14.

Chamberiacum Sabaudiæ Metropolim Fol. 17.

Lucam Fol. 17.

Placentiam, Ticinum vulgo Pavia, Veocellas, Iuream, & Anguſtam Prætoriam vulgo Aoſta, Salaſſiorum vrbem, Fol. 18.

Vigevanum & Novariam Fol 21.

Mediolanum, Sextium, Aronam, Domodoſcellam, Sedunum vulgo Sitten, Valeſiæ regionis Metropolim, Foll. 22.

Comum, Luganum & Locarnum Italice Locarno, germanice Luggaris, Fol. 26.

Bilitionum vulgo Belinzona,Fol.29.

Florentiam,Fol.30.

Otriculum, Narmiam,Interamniam,vulgo Terni, Peruſiam,Florentiam, inde Caſtellum nouum,Pratim & Piſtorium vulgo Piſtoriam Fol. 30.

Scarpariam,Florenzolam,Bononiam , Fol. 37.

Vrbinum, Ariminum vulgo Rimini,Ceſenam,Forum Livij vulgo,Forli,Faventiam,Imolam,Bononiã , Mutinam,vulgo Modena, Regnum Lepidi vulgo Regio , Parmam,Buxetum,Cremonam , Pice Leonem vulgo Picighiton,Laudam vulgo Lodi,Caſſanum Leucum, Bellanum,Fol.38.

Cremam & Bergonum vulgo Bergamo,Fol. 47.

Concordiam,& Mantuam, Fol. 48.

Mirandulam, Roverum, Mantu am,Brixiam,Churiam vulgo Chur Rhetiæ Metropolim,Fol.49.

Ferrariam Veronam & Tridentum,Fol. 52.

Patavium, Vicentiam:Tridentum,Campidoniam vulgo Kempten Germaniæ oppidum, Fol.55.

Pozzanum , vulgo Bolzan, Brixinam, vulgo Brixen Oenipontem vulgo Inſpruck Tirolenſis comitatus Metropolim , Fol. 58.

Ravennam, Venetias Meſcreſium, Tarviſinum,Seravallim, Brunecum, Fol. 59.

Sacilium , Spilinbergum , Fanum Danielis, Ventionem vulgo Venzon , Villacum Carinthiæ ducatus oppidum,Fol. 68.

Fanum viti,& Vtinum vulgo Vdene Fori Iulij oppidum, Fol.69.

Tiſanam, Aquilegiam, Montem Falconis,Gradicam, Goritiam,Fol.69.

Duinum, Tergeſte, Mugilam, Iuſtinopolim , Inſulam caſtellum , Piranum , Vmacum , Civitatem novam, Rovinium,Polam, Fol. 70.

Cerviam,Fol.73.

Gra-

Gradariam & Catolicam, Fol. 73.

Piſaurum vulgo Peſaro Ducatus Vrbini oppidum, Fol. 74.

Fanum, Fol, 74.

Spoletum, Seravallim Camerinum Senegalliam, Fol. 75.

Maceratam, Auximum, Anconam, Fol. 76.

Recinetum vulgo Recanati, Fol. 79.

Firnum vulgo Fermo, Fol. 79.

Tybur vulgo Tivoli, Aquilam, Cantalupum, Thieti, Fol. 80.

Preneſte, Albam, Aufidenam, Triventum, Montem Doriſium, Guaſtum Aymonium, Fol. 82.

Celanum vulgo Celano Fol. 85.

Thuſculum, Anagniam, Sepinum, Altavillam Luceriam, Manfredoniam, Fol. 85. & ſequen:

Troiam, Salpe, & Barulum, Fol. 90.

Andrium, Tranum, Vigilias vulgo Biſegli, Fol. 91. Valmontonium, Ferentinum, Aquinum, Theleſiam Beneventum, Tripaltam, Arianum, Marſetam, Iuvenatium, Bitontum, Barium, Molam, Sanvitum. Fol. 93.

Converſanum, Polinianum Monopolim, Fol. 97.

Vulturariam, Aquavivam, Ioiam, Cilium vulgo Celio, & Brunduſium vulgo Brindiſi, Fol. 98.

Abelinum, Venuſiam, Gravinam, Materam, Motalam, Aletium, hydruntum vulgo Otranto, Fol. 99.

Tarentum, Corlianum, Caſtrum, Gallipolim, Nardum, & Vxentum vulgo Vgenti, Fol. 102.

San Germanum vulgo San Germano caſtrum in radicibus Caſſini montis, Fol. 105.

Sueſſam, Capuam, Sueſſulam, Acerram, Nolam, Sarnum, SanSeverinum, Dianium, Padulam, Caſale novum, Corlianum, Roſanum. Fol. 105.

Marinum, Velitras, Terracinam; Fundos, Itrum, Formias, vulgo Mola, Averſam. Fol. 109.

Aliud Iter Averſam indeque Neapolim, Ebolum. Rotundam, Moranum, Seracenum, Altimontium, Turranum, Beſidiam, vulgo Beſignano, Bochilerium, Vernandam, Cutrum, Crotonem, Caſtellam, Fol. 112. & ſequen.

Belicaſtrum & Iſulam, Fol. 122.

Sebirenam, vulgo Santa Severina, Fol. 122.

Tabernam, Catazanum, & Scyllaceum, vulgo Squillaci, Fol. 123.

Salernum, Turturam, Vernicarium, Montem Altum. Conſentiam, Martiranum, Neocaſtrum, Sorianum, Stylum, vulgo Stillo, Calabriæ oppidum, Fol. 125.

Cauloniam, Fol. 129.

Caſtrovetum, & Arochellam Calabriæ oppidum, Fol. 130.

Arenam, Francicam, & Criptariam, vulgo Grotaria Calabriæ oppidum, Fol. 130.

Belfortum, Hieracium, vulgo Gierazo, Biancum, & Brancaleonum caſtellum Galabri, Fol. 131.

Poſſidoniam, Piſciotam, Policaſtrum, Dinum, Scaleam, Cerilli, Blandam, vulgo Belveder, San Bonifacium, Cetrarium, Vardiam, Paulam, San Lucidum, Fligidum, Bellimontium, Amantheam, Sant Euphemiam, Maídam, Polyſtinam, Crepacorum, Bovam Calabriæ oppidum, Fol. 132. & ſequen.

Monteleonum, Miletum, San Georgium, Quinque Frondium, Terram Novam, & Opedũ mediterraneum, Calabriæ oppidum, Fol 136.

Angitulam, Picium, Philocaſam, Synopolim, Calannam San Agatham in mediterraneis Calabriæ oppidum, Fol. 139.

Roſarnum Chriſtinam, Semmarram, in mediterranea Calabria oppidum Fol. 141.

Calimeram, Briaticum, Tropeam, Nicoteram, Iopolim Parmam, Balneariam, Scylleum & Rhegium Calabriæ Metropolim, Fol. 141.

Rivellum

Rivellum & Amalphim maritimum Campaniæ felicis nũc Terra di Lavore dictæ oppidum nobile, Fol. 145.
Vicum, Surrentum, & Maſſam novi nominis in Campania felice civitatem, Fol. 145.
Cumas, Miſenum promontorium, Baias, Puteolim vulgo Pozzolo, Fol. 146.
Caietam Latij nunc vulgo Campagne di Roma dictæ vrbem, Fol. 155.
Ardeam, Neptunium, Aſturam, Fol. 158.
Oſtiam, in Latio in ipſo maris Tyrrheni littore, ad Tiberim fluvium ſitum oppidum, Fol. 159.

Finis Indicis.

TABELLARVM GEOGRAPHICARVM HVIC
libello ſervientium Elenchus

ITALIÆ TABELLA GENERALIS.

Aprutij.
Calabriæ.
Campaniæ foelicis.
Corſicæ inſulæ.
Flamiæ nunc Romanula.
Fori Iulij.
Iſtriæ.
Latij nunc Campagna di Roma
Liguriæ nunc Riuera di Genoa.
Mantuani Ducatus.
Marchiæ Anconitanæ.
Marchiæ Tarviſinæ.
Mediolanenſis Ducatus.
Montisferrati Marchionatus.
Orvieti oppidi territorium.
Parmenſis Ducatus.
Pedemontij Principatus.
Peruſini agri.
Regni Neapolitani.
Sardiniæ inſulæ.
Siciliæ inſulæ.
Spoletani Ducatus nunc Vmbria.
Thuſciæ nunc Toſcana.

DELI-

DELICIÆ ET ITINERARIVM ITALIÆ.

ROMA quondam orbis princeps & Imperatrix in Latio condita ad Tiberim. Quantus hac noſtra ætate Romæ ambitus ſit non parum variatur P. M. 15. nonnulli dicunt, alij 14. quidam 13. Turres ſolummodo 365. Portæ 20. ſuperſunt; nec quæ extant nunc Turres, itemque muri veterum operum fundamentis inſiſtunt, nec materia lapidevè conſtant eodem, nec ijſdem in locis quibus olim portæ ſunt. ſed omnia mutata conuerſaque reparatorum pro arbitrio; quippe quia non ſemel incurſione Barbarorum vrbs ruinis deformata planeque vaſtata ac ſubuerſa fuit. Inſignia hic ædificia tam publica, quam priuata, tum etiam vrbis illius quondam triumphantis, atque orbi terrarum imperantis antiqua monumenta, giganteæ profecto molis opera, ſi prolapſas in Solum, velut è montibus, teſtudinum ac fornicum vaſtas rupes, ſi turrium atque murorum immanes ruinas intuearis in Thermis, Templis, Amphitheatris, Circis, Aquæductibus atque Theatris cæteriſque publicis ædificijs multis. Stupet non illiteratus hoſpes, nec ſatiari contemplando poteſt, incidens in Theatrum TITI Veſpaſiani, ſupra ſeptem mundi miracula laudibus evectum, Panthern Vipſanianum, Thermas Caracallianas, Conſtantinianas atque Diocletianas, provinciarum quaſi in amplitudinem extentas, ac vrbium magnarum forma, turribus męnibuſque altiſſimis ſeptas. Miratur tot marmoreos Arcus triumphales, columnas cochlides, armorum atque bellorum expeditiones ſculptis ad vivum imaginibus referentes: Pyramidum ingentia ſaxa, & Obeliſcorum trabes immanes, quarum evehendarum ob cauſam naves fabricatæ fuerant, vt veluti iuga montium per fluctus iratos tranſportarentur. Quid referam giganteos ex vno ſaxo coloſſos Caſtorum ἱπποδάμων cum equis exultantibus, atque fluviorum ingentium proſtrata corpora? tot ex ære marmoreque precioſo, & rari generis ſtatuas artificioſiſſimas, columnas ingentes, vaſa, labra, conchas, ſoliaque balnearia capaciſſima? quæ in Thermis balneiſque publicis olim vſui fuere, ſicut & illæ cathedræ pertuſæ ex Numidico Leucoctytto duriſſimo perpolitæ in Lateranenſis Baſilicæ porticu, vulgi fabulis infames. Hic obuerſantur oculos humana ſtatura maiores atque ſpecie magis auguſtæ ex marmore candidiſſimo ſtatuæ: vt pulcherrimus ille Apollo Hecatebeletes, Hercules, Veneres, Mercurius Genius principis, quē Antinoum Hadriani Imp. eſſe autumant, Nymphę Anapavomene ad fontem decumbens quam Cleopatram volunt, item ex vno Pario ſaxo Laocon ille Troianus cum ducibus filijs adoleſcentibus, duorum Draconum

nexibus intricatus, atque tantopere à Plinio laudatus; in qua quidem ſtatua ad vnguem elaboranda, tres ſimul artifices ſummi Agaſander, Polydorus, & Athenodorus Rhodij, communi conſilio operam & ingenium impēderunt; raro quidem hæc caſu inter ruinas ædium Titi Veſpaſiani Imp. conſeruata, & è Carinis extracta eſt. Sic Tiberis fluvius cum Lupa lactante geminos Romulum ac Remum ex vno ſaxo. Sic Nilus ingens Sphyngi innixus, per cuius corpus ſedecim cubiti pueri (vt eos Philoſtratus Lemnius appellat) luſitantes eius fluminis incrementa notant. Quorum decimus ſextus humero ipſius inſidens Calathum fructibus & floribus plenum capiti imponit; atque indicat XVI. cubiti, iuſtum Nili incrementum Ægypto fructuum omnium ſummas adferre delicias non ſecus ac XV. ſecuritatem, & XIV. hilaritatem. Reliquos inferiores nempe ſi ſupra XIII. cubitum non excreſcat Nilus, famem ac penuriam Ægypto protendere Plinius ſcribit hiſtoriæ naturalis lib. V. cap IX. Hæc etiam elegantiſſimè in ipſa Statua per puerorum geſtus indicantur, in cuius item Baſi frutices, herbæ, plantæ Nilo peculiares ad vivum exſculptæ viſuntur; vt colocaſia, calamus, papyrus, aliæque, quibus Ægyptus propter Nilum eſt nobilis, quemadmodum & raris animalibus in eadem Baſi non minus eleganter imitatis; inter quæ ſunt Hippopotami, Ichneumones, Trochili, Ibides, Scinci, Crocodili. Nec deſunt perpetui horum aduerſarij ac domitores Tentyritæ naviculis amnem exercentes, atque Crocodilos remis territantes. Puſillum genus hominu, ſed animi præſtantia mira, huic beluæ infeſtum, quorum vel voce ſola, vel olfactu fugatur, non ſecus Pſyllorum tactu aut odore ſerpentes. Quinetiam Tentyritæ, crocodilorum natantium dorſo inſilientes, iniecta oris rictui clava, tanquam lupato equitantium modo in terram agunt captiuos, coguntque evomere ad ſepulturam recentia deuorata corpora, quemadmodum Plinius idem, libri octaui, capite XX. memoriæ prodidit. In hortis vaticanis pontificioque palatio, multa precioſa ornamenta magnæque artis atque elegantiæ in picturis, ſculpturis, auleis tectorio & ſtatuis, cernuntur, vt & in Nympheo Pij IV. Rom. Pontif. ſtatuis, ſignis epigraphis antiquis & præcioſis rariſque marmoribus opulentiſſimo. Pulcherrimus ille ex Pario pater Oceanus Deus, aquarum omnium Princeps, rerumque parens, vt eum Homerus appellat ex philoſophorum veterum ſententia. Qui inferiorum elementorum ac corporum genitale ſemen liquidum ex eo per vniuerſum exurgere, & propagari volunt, Soliſque ac ſiderum igneis per aquas exhalationibus nutriri. In area Capitolij fons eſt, ſupra quem caput marmoreum muro inſertum ex cuius magnitudine colligitur, fuiſſe cuiuſdam Coloſſi, et iuxta fontem inter alia fragmenta reperitur pes, & pars brachij ex marmore. Itidem inſignis magnitudinis vt partes fuiſſe dicti Coloſſi videantur. Sub hoc capite in fonte ipſo recumbit ingens ſtatua marmorea, quam Marforium vocant: à doctis piſtorius Deus, ſiue panarius Iupiter eſſe creditur, quod tumores inſtar panum circumquaque promineant: alij exiſtimant eſſe ſimulacrum Rheni Germaniæ fluvij. Huic affigi ſolent ſcripta famoſa, reſponſoria tamen & anti-

phona

phona illis quæ ad Paſquinum prius publicantur. Paſquini ſtatua eſt gladiatoris brachijs & facie mutila, ante ædes Alphonſi Caraffæ: huic etiam edicta monitoria, & id genus ſcripturarũ affigi ſolet. In medio areæ Capitolij ſtatua equeſtris ænea, in cuius Baſi hæc leguntur: Paulus III. P. M. Statuam equeſtrem à S. P. Q. R. Marco Antonio Pio, etiam tum viuenti ſtatutam, varijs deinde vrbis caſibus everſam, & à Sixto V. P. M. ad Lateranenſem Baſilicam repoſitam, vt memoriæ optimi Principis conſuleret patriæq; decora & ornamenta reſtitueret, ex humiliori loco, in aream Capitolinam tranſtulit, atque dicauit. Anno ſalutis M. D. XXXVIII. in Foro Romano ad clivum Capitolinum arcus Septimij conſpicitur integer adhuc, in quo monumẽta victoriæ terreſtris, & maritimi prælij. Caſtellum aquarum ſeu potius ciſterna Titi Imp. vulgo Le ſette ſale mirabilis eſt fabricæ ſicut & domus & Turris Neronis, ex qua iuſſu ſuo incenſam vrbem Romam 7 dierum ſpatio cum voluptate ſpectauit. Turri militiæ, ſiue arcui Nervæ Imp. (hodie corruptè Arca Noë vocatur) eiuſq; Palatij reliquijs, S. Baſilij Fanum ſuperſtructum eſt. Vide Tabellam Thuſciæ.

ITER ROMA RONCILIONVM, VITERBVM, MONTEMFALISCORVM, VVLSINAM, AQVAMPENDENTEM, S. QVIRICVM, VOLATERRAS, LABRONEM Vulgo Liuorno.

Iſola	9	Monte Roſi	9	Simul 28.
Baccano		o. Ronciglione	10	

RONCILIONVM vulgo Ronciglione, oppidulum eſt in colle, inter Sutrium cæde Hetruſcorum nobile, & Graphalicam. Vini bonitate commendatur. Non longe abeſt lacus Cyminus, à Virgilio celebratus, & lacus Vadimonis hoc longe maior, de quo Livius: inter vtrumque eſt aquarum calidarum copia maxima.

Lago di Vico	Lago di Viterbo	o. Viterbo	8.

VITERBVM vulgo Viterbo, vrbs Faliſcorum, olim Longida dicta, vel vt alij volunt Vetulonia, ſita eſt in montis Cymini radice, loco plano & irriguo, lapideq; quadrato ædificata. Fontes in publico habet duos, abundantque frugibus & fluminibus, fontibuſq; tam medicatis quam dulcibus, inter quos ſunt aquæ Caiæ, ab antiquis ſcriptoribus laudatæ.

o. Monteſiaſcone	8

MONSFALISCORVM vulgo Monteſiaſconi, Ptolemæo: Falenium, quondam Faliſcorum caput, ſitum

arduo loco, nobilitatur vino Muſcatelli, Lino & fructibus quam plurimis. Cato arcem Iti vocat, & ab Argis cõditã refert Plinius. Venit hic notãda Hiſtoria, de quodam Prælaro, nimia vini ingurgitatione mortuo; is dũ iter faceret, famulũ præmittere ſolebat, qui hoſpitia quæreret, vinis melioribus inſtructa: ex eo adueniente quæſiuit Epiſcopus an eſſet bonum vinum. Famulus vt bonitatem vini eo magis exprimeret, reſpondit, Eſt Eſt & vocem duplicauit. Mortuo itaque Epiſcopo, famulus poſuit Epitaphium: propter Eſt Eſt, Dominus meus mortuus eſt.

Arlena o. Bolſena 8

VVLSINA vulgo Bolſena, ex duodecim capitibus Etruriæ vna, nunc deleta eſt, & in villam propemodum conuerſa: ampliſſimo lacui Vulſinenſi adiacet, cuius ager Olea eſt feraciſſimus, & primo anno fructum facit. In lacu, à montibus habitatur, Inſula in qua Almanicus Oſtro Gothorum Rex, Almaſiundam genitricem occidi paſſus eſt, quæ adeo eloquens & edocta ſcribitur, vt extremo afficiendi ſupplicio eam orantem audientes, mortem plane contempſerint.

o. Aquapendente 8

AQVAPENDENS olim Aquila oppidum eſt oblongum in monte ſitum, inter lacum Vulſinenſem, & amnem prilam, qui lapideo ponte, ſex fornicum ſtratus eſt. Vide dictam Tabellam:

Ponte centeno	4	Lorza	2	Hoſp. Scala	3
Paglia	8	Socorzo	3	S. Quirico	5
				Simul	25.

S. QVIRICVS oppidum eſt cum Arce iuxta Oſenuam montem. Vide dictam Tabellam.

Torraniere	4	Cuna	8	Menzano	9
o. Bonconvento	4	Roſia	6	o. Volterra	13
				Simul	44.

VOLATERRÆ vulgo Volterra ciuitas eſt antiquiſſima difficillimo aſperrimoque iugo impoſita; ex primis Hetruriæ XII, Iano conditore inſignis. Murorum forma humanæ manus ſpeciem ſequitur. Montis enim in quo ſita faſtigium, quiuis aſſurgit modicis collibus, inter ſe paruis, item vallibus diſſociatis; omnes clauſi muro haud ſunt,

ſunt, ſed aliqui tantum. Męnia ipſa quadrato lapide longitudinis ſenum pedum, tam affabrè abſquę Bitumine compoſito, vt elegantiam habeat inſignem, maiori ex parte conſtant. Quinis in vrbem portis aditus datur, pro ijs ſingulis fons eximius, aquas nitidiſſimas iacit; intus in vrbe bini alij ingentes. Vndique veterrimas ex marmore ſtatuas cernere eſt, quaſdam integras, pleraſque fractas, magna varietate, vti & Epitaphia multa Tabulis marmoreis inſignibus inſcripta. Fuit inter hæc antiquitatis monumenta caput ex marmore, Lauro redimitum, quondam in Arcis vetuſtæ, quæ maximo quinque collium erat impoſita, fundamentis repertum. Vrbis medio veſtigia maximi Theatri ſuperſunt, & in via quam Curſum Martium vocant, martis ſignum pernobile marmoreum, cum vrnis aliquot ex Alabaſtrite, Toreumatis inſigni opere cælatis, in quibus & ignotæ quædam literæ, Hetruſcas quidam aſſerunt. Iacet hic item Statua ex marmore, muliebris, amicta, puerum involutum vlnis tenens, in cuius Pallæ manicis prægrandibus, minutæ admodum inciſæ literæ ſunt, vt ferunt Hetruſcæ. Multę inſuper inſcriptiones eiuſmodi, ac item Latinæ cernuntur, quæ niſi longa narratione commemorari omnes haud poſſent, & aperte vrbis vetuſtatem docent. Anno 1529. Florentiam obſidente Philiberto Auraniæ Principe, Caroli V. Imp. legato, vna cum Clementis VII. Pontif. Roman. exercitu, vt Alexander Medices, alijque multi exules reducerentur, Volaterræ, Cortona & Aretium, Philiberto ſe dediderunt; ipſaque deinde Florentia ſubacta, in Alexandri Medices, Florentiæ poſtea Ducis imperio Volaterræ permanſerunt, cui ſucceſſit Coſmus Magnus Hetruriæ poſtea Dux.

Orciatico	10	Garbo	6	o. Livorno	8
					Simul 24.

LABRO vulgo Livorno portus eſt, cui adiunctum eius nominis oppidum. Arx in Inſula forma triangulari rebus neceſſarijs ad defenſionem militeque præſidiario inſtructa eſt. Vnaquæque navis ſoluit in portu tres coronatis, pro portu vnum, pro lumine alterum, pro tota acceſſione tertium. Portus aduerſus impetum aquarum bene munitus eſt, & recipiendis navibus onerarijs etiam maximis, accommodatus. Triremes hic ſunt more Italo inſtructæ captiuis catenatiſque, tum Turcis, tum Italis ad Triremes condemnatis, qui interdiu omnis generis opera facere coguntur, lapides coquere, calcem præparare; quidam fabri ſunt, conficiuntq; inſtrumenta nautica, alij reſtiones, qui nullam artem norunt, baiulos agunt in compedibus tamen. Ædificia hinc inde noua cõſtruuntur non pauca, habitationibus contignis, quæ aduenis paruo locantur, infinita fere & vicina ſibi admodum epicauſtra ſiue Fumaria habent, quorum tamen nullum alteri ſimile, ſed ſingula formæ ſunt ſingularis.

iuxta Portum quatuor in mari Turres conſpiciuntur, quarum altiſſima eſt Pharus, nautis noctu lumen præbens, ex reliquis tribus, vna ſemidiruta, aliæ propugnacula ſunt, & naves appellentes prætermavigare eas coguntur. E regione ab altera parte, in littore Mola pneumatica ſiue alata eſt, quod genus per Italiam infrequens eſt. Labronis munitio incepta eſt à Coſmo Medice Magno Hetruriæ Duce, perficiturq; inſigniter à Ferdinando Magno Duce.

ITER ROMA SENAS, PISAS, PETRAMSANCTAM, SARSANAM, GENVAM, SAVONAM, FINARIVM, ALBINGAVNVM, TABIAM, ALFINIMINIVM, NICEAM.

Bonconvento in præcedenti itinere numerantur milliaria 93.
Ponte di rena 4
Lucignano 2
Monterone
S. Angelo
o. Siena 10
Simul 109.

SENÆ vulgo Siena, Hetruriæ vrbs nobiliſſima, clariſſima & amæniſſima ad Arbiam fluvium, edito in loco ſita, flexu ſinuoſo, propter montis dorſum, lateribus anguſtior ac proclivior, tria quaſi cornua habet, quorum illud, quod Meridiem ſpectat, latius eſt ijs, quæ ſunt ad Ortum & Occaſum: nam ea vrbis pars, quæ ad Septentrionem exigua præ cæteris & plana eſt; valles intermediæ ferè hortis occupantur. Cælum noxijs infeſtum eſt ventis, ager inter ſterilē & feracem medius. Stratæ ſunt Senæ latere coctili, ædificia eius ſplendida, Turres altæ, plateæ rectę & oblongę, formis eſt puellarum inſignibus, civiumque humanitate erga exteros laudantur Senę domeſticis tamen factionibus diſſentiens. Forum hic amplum, & multorum laterum, adeo vt propter angulorum inæqualitatem, forma eius certa dici non poſſit: in medio profundum, erectum è lateribus, vt penſile videatur; ei dignitatis haud parum addit fons Brandus ex marmore, cum multorum Sanctorum imaginibus; patet 12. acceſſibus, Turrimq; habet quam vulgo Roccabruna dicunt. Palatium tali vrbe dignum eſt, in quo prętor vrbis cum Optimatibus habitat; in eo eſt Globus Geometricus magnus & excellēs: conclaue hiſtorijs Rom. & Senenſium ornatur. Ex Palatio in Turrim illi adiunctam adſcenſus eſt per gradus CCXIIX. vſque ad campanas, inde ad ſummum alij gradus ſunt L. Academia, à Pio ſecundo Pontif. Rom. hic inſtituta: is quoque Porticum faſtigiatam ſuæ genti Senis ſtatuit, & parentibus ſplendidū Epitaphium è marmore poſuit cum inſcriptione. Ædes maxima divæ Virgini Matri ſacra, ſplendidis ac ſumptuoſis, quæ tota Europa ſunt Fanis annumeranda eſt

da eſt, ſiue precium marmoris, ſiue excellentiam operis ac artificij, quo facta ſpectes. Eſt etiam hîc ampliſſima domus hoſpitalis, miſerorum inſigne ac periucundum refugium: Diſtincta ſunt loca virorum, vbi lecti circiter CXXXV. & mulierum vbi lecti circiter CXXXIII. in altiore parte, conclauia numero XLVI. ſacerdotibus, & ijs qui infirmis ſeruiunt deſtinantur: Cellę penuariæ & vinariæ hîc admirabiles; in his vas vnum, tot vini Cadorum capax, quot dies habet annus, Artifices hic & mercenarij omnis generis ſunt. Non ſolum hic infirmi & qui eorum curam gerunt, aluntur, (quorum numerus DCC. fertur) ſed & quotidie Monachis alijſque hominibus dantur eleemoſynæ, pueri expoſititij aluntur: fœminæ cum adoleuere, viris cum dote elocantur: maſculi ad artificia traduntur. Hoc præclarum & omni prædicatione dignum opus, à Sutore inchoatum aiunt, auctumque deinde aliorum hominum collatione & liberalitate, adeo vt ipſius Reditus ad 80. ducatorum millia aſcendere fama ſit. Collegium, quod Sapientiam vocant, ab Andrea Galerano, cive Senenſi initium ſumpſit; in eo certis perſonis præter cubiculum, panis, vinum caro & obſonia dantur, ea conditione, vt in annos 4. aureos 70. numerent; diebus quibus carnium eſus interdictus obſonium datur. Admittuntur omnis generis homines Itali, Hiſpani, Germani, quibus hæc ciuitas valde placet, propter ſitum, aëris temperiem ipſis commodam, civium hoſpitalitatem, & fœminas placidas, doctas, lectas & vt pudicitia fert, benignas & facetas. Delitiæ Italum. Vide dictam Tabellam Thuſciæ.

Staggia	9	Ponte del Arno			Ponte à Era	21
Pogibonzi	3	Scala			Caſcina	4
Certaldo	6	S. Maria de monte		o.	Piſa	6
Caſtel Florentino	7	Cuculi				Simul 56.

PISÆ vulgo Piſa vrbs eſt Hetrariæ antiquiſſima, à Pelope Græco ante Troianum bellum condita; primum Alphea dicta. Sitę ſunt Piſæ loco plano, & Tyrrheni maris littori propemodum inſertæ, frugum copia, ſaxorum operibus, ſerenitate & ſalubritate cæli clarent. Olim florens & felix civitas, nunc infrequens & deſerta, tantum pene hortorum, quantum ædificiorum intra męnia eſt. Virorum fortium altrix, & Saracenis olim inimica, de quibus inſignes victorias adepta, tantæ quidem potentię, vt centum eius familiæ, centum naves roſtratas, priuato ſumpto edificarint, & ad bellum maritimum exornarint. Templum Cathedrale quod anno 1595. conflagrauit, fuit vt etiamnum videre eſt prætioſiſſimum & pene totum marmoreum, fultumque in parte interiori columnis ingentibus 48. quę ex ſpolijs Hieroſolymitanis apportatæ eſſe dicuntur, ſed nunc omnes conquaſſatę

& ruptæ

&ruptæ ſunt. Præ foribus templi columna eſt, cui vrna impoſita, in qua Tributum colligi Iulius Cæſar iuſſit: Charactere peruetuſto inſcripta ſunt hæc verba. Queſt è il vas chil meſſer Iulio Cæſare, ſi facena tributare. Iuxta hoc Templum ſpatio tamen intermedio ſita eſt Turris penſilis, il Campanile, artificio inſignis & marmore illuſtris, nulla eſt alibi ſimilis, excepta Turri Bononienſi Gariſendi dicta, quæ tamen Piſanæ illius magnificentiam, nulla ex parte aſſequitur; illa enim ex cocto tantum lapide, hęc ex ſolido marmore facta, illa mutila atque imperfecta, hæc perfectiſſima, & Marmoreis columnis ſuffulta, & vndique 7. ambulacris ſiue Pereſtilijs pulcro ordine circumdata eſt: Ab altera parte Templi Cathed. eſt Cemiterium, vulgo il Campoſancto dictum, viſu digniſſimum: longitudine & latitudine Arcæ Noë reſpondere dicitur. Picturæ ibi in parte interiore, per circuitū ſunt, veteres quidem ſed artificioſæ, inter alia Aſinus, eodem & quaſi directo intuitu aſtantem prætereuntemque, & in quaſcunq; partes ſe vertentem aſpiciens. Ibidem ſub Porticu monumentum Decij, I.C. cui inſcriptū, Philippus Decius ſiue de Decio Mediolanenſis I. C. celebri fama notiſſimus. Primum locum ſtudij in Iure Canon. & Ciuili tenuit, Piſis, Senis, Patavij, & demum in Gallia; reuocatus in Italiam ab excelſa Florentinorum republica, ſtipendium 1500. Aureorum ex lectura in Anno conſecutus eſt: de morte cogitans hoc ſibi monumentum fieri curavit ne poſteris crederet. Quod in medio circuitus eſt terræ ſpatium, id nullo Silice tegitur, cum terram illam Sanctam affirment, in qua cadavera ſepulta, 24. horarum intervallo conſumuntur; inde fit vt quãvis modicum ſit: tamen infinitis, qui ex omnibus totius civitatis partibus, omnis ætatis, ſexus, & ordinis eo inferuntur, ſufficiat. Templum S. Ioannis Baptiſtæ è regione Templi Cathed. ſitum eſt: in eo columna ex marmore, cui artificio ſingulari inciſæ figuræ. Item Baptiſterium D. Ioannis, in cuius medio ſtatua illius ex politiſſimo marmore. Chorus, vt vocant, exiguus quidem locus, vt & ipſius Templi proportio exigit, tamen politiſſimus eſt, & ceroſtrato ſiue opere inteſſulato ſcite admodum exornatus, & circumcirca variegatus. Ibidem à tergo dexteræ partis chori, in venis quibuſdam marmoreis conſpicitur nativa monachi recumbentis effigies. Inſtitutum dicitur Piſis vniuerſale ſtudium Anno 1309. Domus Bartholi in via S. Mariæ maioris, non procul à templo Cathedrali, adhuc cernitur, & reſtaurata, inque vtilitatem publicam conuerſa, à Ferdinando, Magno Duce, talem habet inſcriptionem: Ferdinandus Medices, magnus Dux Hetruriæ tertius, has ædes, quas olim Bartholus iuris interpres celeberrimus incoluit nunc veneratas & inſtructas, adoleſcentibus, qui ad philoſophorū & I. C. torum ſcholas miſſi, publico vrbium atque oppidorum ſuorum ſumptu, ſeparatim alebantur, publicæ vtilitati conſulens addixit, legeſque quibus in victu, veſtitu, vitaque ſimul degenda vterentur, tulit Anno ſalutis 1595. Hortus Magni Ducis medicinæ ſtudioſorum commodo ſeruit: in eo quam plurimæ herbæ, fructuſque exotici & rari, optimo ordine diſpoſiti, inter alia Ficus Indica, mirabilis viſu. In ædibus horto ipſo contiguis reſerua-

ſervantur & monſtrantur exuviæ innumerabiles animalium exoticorum, Crocodilorum, item & Serpentum piſciumque rarorum & admirabilium, aliaque multa quæ alibi non videas. Ædibus inſcripta ſunt hæc: Ferdinādus Medices, magnus Dux Hetruriæ tertius, vt adoleſcentes ſtudioſi paratum habeant locum, in quo fructuum herbarumque facultates & naturas pernoſcant, Hortos inſtruendos curauit, domumque ſua pecunia emptam & inſtauratam adiunxit, per quam eis ingredi cupientibus, aditum patere voluit Anno 1595. Mediam civitatem ſcindit Arnus, tribuſque tranſitur pontibus; ad eius ripam, quaſi in ipſius vrbis meditullio eſt Palatium Ducale, quod etſi ad D. Antonium Medices, Ferdinandi ex fratre nepotem naturalem pertinet, tamen Dux Ferdinandus, cum Piſis agit, ibi diuertitur. Non procul ab hoc Palatio ſtatua marmorea erecta eſt, Duci Ferdinando, quæ manu ſua ſiniſtra fœminam coronatam ſive reginam (imago hæc eſt vrbis Piſarum) à cuius vberibus infantes duo dependent, apprehendit & labaſcentem erigit. Baſis hanc habet ſcripturam; Ferdinando Medices Magno Duci Hetruriæ tertio, Piſana civitas ampliſſimis aucta commodis, Principi bene merenti poſuit Anno 1595. E regione huius Statuæ ad alteram fluminis ripam, ædicula quædam cernitur vetuſta, ex marmore extructa, quã olim mendicus quidam claudus, vti perhibent, eo in loco ſtipem colligere ſolitus, poſt mortem ſuam ære illo ſuo emendicato ædificari iuſſit, eius imago ibi ex marmore cernitur. Palatium Equitum S. Stephani, habet formam Amphitheatri, inſcriptio eius talis: Coſmus Medices, Florentiæ & Senarum Dux ſecundus, ſacram D. Stephani militiam Chriſtianæ pietatis & virtutis domicilium fundauit Anno 1561. iuxta Palatium hoc eſt templũ D. Stephani ſumptuoſiſſimè exornatum: itemque hortus ſpacioſus: dein la Piazza ſiue Forum, in quo ſtatua equeſtris Coſmi Medices. Larſenale, locus vbi ædificantur Triremes eſt; non procul hinc hortus elegans, & ſatis magnus, habet hic hortus Sylvulam denſiſſimam aucupijs deſtinatam: item Viuarium piſcium, & Palmam arborem. La Cittadella, Arx eſt ab Alexandro Medice cæpta, poſtea à Coſmo abſoluta, optimeq; munita ad coercendos, retinendoſque in officio cives: in eam aditus non patet abſente Magno Duce. Vide dictam Tabellam

Torre	6	Vioregia	8	o. Pietra ſancta	4
					Simul 18.

PETRASANCTA nobile eſt oppidum. Fanum Feroniæ, hic vbi Petra ſancta, extitiſſe probat Annius, oppidum hoc primo Cafronianum, id eſt poſterius Feronianum, deinde Petram ſanctam à Deſiderio Lõgobardorum rege abolendæ profanæ deæ nominis cauſa dictum: omniaq; inſuper mõtana inter Petram ſanctam & Lucam ad-

cam adhuc Caferonianæ appellationem ſeruare ſcribens, quamvis corruptam, quippe quia Carfenianam ſeu Grafignanam vulgus effert. Vide Tabellam Liguriæ.

o. Maſſa	6.	o. Sereſana	10		Simul 16.

SARZANA vulgo Sereſana ciuitas eſt propter interitum Lunæ condita. Eam Nicolaus V. Pontif. Rom. & doctus Vir & doctorum inſignis Mæcenas illuſtrauit, ſede Lunenſis Epiſcopatus huc translata. Non procul in alto colle eſt Sarzanellum, quod Caſtrucius Lucenſium regulus primum ædificauit: Sarzanellum tanquam Arx Sarzanæ dictum vt Bernardinus Corius in hiſtorijs perhibet. Propugnaculum hic prius erat quoddam, Batiſolis vt accolæ vocabant; Sarzanellum deinde Petrus Fregoſus Genuenſium Dux egregiè communiuit. Vide Tabellam Liguriæ.

S. Remedio	8	Seſtri	6	Bogliaſto	6
Borgetto	8	Chianari	4	Orceri	
Mattarana	6	Rapallò	4	Genua	8
Bracco	6	Recco	6		Simul 62.

GENVA nomen ſumpſit à Genuo Saturni filio vel à Iano ſecundum alios: Alij à Iano poſt bellum Troianum fuiſſe auctam exiſtimant. Antiquitus nobilis valde fuit, ſecuta ſemper partes Romanorum. Primum everſa eſt à Magone Carthaginenſe: poſtea iterum exſtructa à Cornelio Servilio Conſule, dein iterum circa Annum Chriſti deſtructa à Rotario Longobardorum rege, Carolus autem Magnus hanc civitatem iterum recuperauit, atque Imperio ſubiecit præfecitque ei Comitem annis circiter centum. Hodie eſt Metropolis Liguriæ, tum Septentrionalis tum Meridionalis, vna ex ditiſſimis totius Italiæ. Admodum eſt populoſa, ædificijs ſuperbis ſplēdida, locique natura munitiſſima. Præſidium alit Germanorum 500, qui in portis vrbis & paſſim in propugnaculis perpetuo excubant. Plurima hic Palatia magnificentiſſima & plus quā regiæ ſtructuræ, præſertim illa quæ à S. Petro in arena cernuntur: vbi nobiles ſuas habent villas (vt vocant) quæ continuo fere duum miliarium ſpacio, ſuburbio coniunguntur. Palatium Ducis quod nondum finitum, ex ruderibus veteris ædificij diruti, ex parte decoratum eſt. Iuxta eſt curia vulgo Piazza della Signoria, habitationibus militum Germanorum circundatur: Ibi in publico, erecta eſt ſtatua marmorea arma & Trophæa ſua penes ſe poſita habens, pedibus conculcans,

tria

tria Turcarum capita. Lardaſina locus dicitur, vbi fiunt naves communes & onerariæ, Larſenale dicta domus, portui maris adiacet, in ea Triremes fabricantur. Fons hic eſt incredibilis pulchritudinis ob materiam quæ tota eſt marina, factis quibuſdam coloribus igne & arte, exprimentes varias figuras hominum, pecudum avium, inſtar gemmarum, quæ panniis intexuntur Sericis: forma eſt rotunda diuiſa in 5. Lauacra, quæ ſingula redundant aquis dulcibus, quas certis foraminibus per ora hominum, beſtiarum monrium cum volucribus ſpuunt. Pogio, vicus eſt, in maris littore in quo Palatium centurionis Adami, civis Genuenſis & latiſſimus hortus, cum admirabili fonte, aquas lacunis circum circa, ad formam Liliorum effundens, & prædium, cuius ſitus ne pulchrior quidem cogitari poſſet. Laterna Turris eſt excelſa lumen præbens nocturnum navigantibus, cuius limini inſcriptum. Anno à Chriſto nato 1543. reſtitutæ libertatis Anno 16. inſtaurata Turris hæc, olim ſtructa à maioribus noſtris, & 1512. in oppugnatione arcis Laternæ diruta. Portui olim caſtellum à Ludouico 12. Galliæ rege, anno 1507. eo loco, vbi nunc Lupanar eſt, fuit impoſitum, Briglia dictum, cuius præſidio civitas in officio contineretur, ſed frenum hoc infeſtum, equus ferox & temerarius non ferens, Antoniottas Adurnius eius Dux, libertatis conſeruandę gratia ad fundamenta deiecit: opus alias admirabile, & ingenti ſumptu factum. Parochiæ hic ſunt 32. In eccleſia Cathedrali Tabula pendet de Tholo ænea, ad Apennini radices in valle (quæ vulgo Porciſera dicitur) Anno 1507. menſe Feb. effoſſa, continet inſtrumentum terminorum inter Genuenſes & Viturios, inciſa literis Romanis antiquiſſimis minutilis; longa palmas duas, & paulo amplius, lata ſeſqui palmam. Chorus Templi inſignis eſt marmoreis Euangeliſtarum ſtatuis, & Sacello, in quo cineres D. Ioannis Baptiſtæ conſeruari dicuntur, vetitus ſexui muliebri, propterea quod is ob preces muliebres necatus ſit. Diui Mathiæ fanum, in choro marmoreis ſimulacris ſacrarum hiſtoriarum, Patriarcharum Sybillarum, natiuitatis & paſſionis Chriſti, pulcherrimè à Ioanne, Angelo de monte Vrſeolo exſculptis ornatiſſimis celebre eſt. Ibidem monumentum Comitis Philippi de Oria & coniugis. Murus exterior Templi, multas habet inſcriptiones victoriarum familiæ Dorienſis. Ante fores Templi forum illorum de Oria circumcirca pulcherrimis ædificijs ſeptum. Dependet etiam ex muro portio quædam catenæ ferreæ, ſicut & in portis publicis, diſruptę à Genuenſibus cum Galli portum Corſicum intercluſiſſent. Vide dictam Tabellam.

Seſtri	5	Voltri		Coguretto	3
Pegli	5	Arenzano	8	Varaſe	4

Celle	2	Arbizola	2	o. Savona	2

Simul 31.

SAVONA Sabatia, vrbs vetuſta à Gallis Senonibus condita, circuitu 1500. paſſuum, & magnificis ædibus ornata, in primis nobiliſſima domo Iulij ſecundi Pontif. Rom. qui cũ Sixto IIII. & Gregorio VII. Pontif. Rom. ex ea originem traxerunt. Variorũ principũ ditionis ſuperioribus ſeculis fuit, modò à ſolis Genuenſibus tenetur, qui Portũ ipſius occuparũt. Hic Alpes incipiunt, & perpetuis iugis porro conſurgũt, in ora pagi aliquot exigui & vici; Solũ vtcumq; ob colles ſaxa iuga & eiuſmodi, quæ ſterilitatẽ inducũt, Vide dictã Tabellam Liguriæ.

Vai	5	Forzie	3
Spontorno	5	Final	4

Simul 17.

FINARIVM vulgo Final nobile eſt oppidum; iacet id in faucibus vallis, vbi modica impoſita colli Arx muniti ſſima tutelam eius tenet. Finarium ab aeris temperie & excellentia dictum putat Blondus. Olim à Genuenſibus everſum, hiſtoriæ perhibent, eiecta nobili familia Carretorum quod ex ea, loci Marchio Galeottus, Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolani Ducis partes, aduerſus ipſos fovisset. Eumtamen Dux Philippus, in ditionẽ poſtea reſtituit, & in principatu ſecutus filius, prudentia virtuteque animi ſumma præditus fuit, à quo diligentiſſimè refici oppidum ceptum, ac dein ad inſignem nitorem perductum. Vide dictam Tabulam Liguriæ.

Perto	3	Ceria	3
Leoan	8	Arbenga	3

Simul 17.

ALBINGAVNVM vulgo Arbenga ciuitas ſita eſt plano, ędificata laute, ſed graui cælo, præſertim ijs anni temporibus, quum in flumine vicino Centa, maceratur Cannabis. Id enim tum odorem effundit teterrimum, vnde vitium aeris contractum, humana corpora morbis pernitioſis infeſtat, hinc vulgi dictum, Albingana plana ſi eſſet ſana, diceretur ſtella Diana. Civitas eſt opulenta, rebuſq; cunctis ad vitã mortalium vtilibus affluens. Vide dictam Tabellam.

Araſſo	4	Serno	2	Onegle	5
Benguelia	5	Dyan	3	Porto Mauritio	5

S. Lo-

S. Lorenzo 3	o. Taggia 5			Simul 32.

TABIA vulgo Taggia caſtellum vinis Apianis inclytum, ambitu quidem exiguo ſed nomine celeberrimũ, ob generoſitatem ſucci, nec Maluatico Cretæ, nec Cyprio, vel vlli tum Italico tum exotico vino ſuauitate cædentis. Vide dictam Tabellam.

S. Remo 5	Bordignera 3	o. Vintimilia 4
		Simul 12.

ALBINIMINIVM vulgo Vintimilia oppidum eſt. Orientale latus eius flumen alluit Rutaba. Mons hac parte mille hinc paſſibus aſſurgit Appius, vlteriuſque paulo, Arx cernitur, à qua non procul Apennini primum iugum incipit. Vide dictam Tabellam.

Menton 4	Turbia 7	o. Niza 6
		Simul 17

NICEA vulgo Niza civitas eſt quondam à Maſſilienſibus condita, dorſo Alpibus innitens, partim in iuga, partim in planiciem porrecta. Hac tempeſtate munitiſſimam & invictam Arcem habet in colle, ditionis Reguli Sabaudi. Venit huc Anno poſt C. N. 1538. Roma Paulus tertius, pacis inter Imp. Carolum quintum & Franciſcum primum Galliæ regem conciliandæ gratia, qui tum hic congreſſi novennales inducias pepigere.

ITER ROMA CEVAM.

Savonã in itinere Roma Niceam numerantur mill. 276. Vide Tabellam Liguriæ.	Carchero 10 Prunei 8	A Ceua 8
		Simul 102.

CEVA nobile caſtrum eſt, extra anguſtias faucium montium claræ gentis Marchionum Cevarum, qui imperium Garezij quoque tenuerunt.

ITER ROMA AVENIONEM.

Savonam vſq; in præcedenti itinere numer. mill. 276.
Vide Tabellam Liguriæ.

Carchero 10
Prunei 8
Leſegna 9
o. Mondevi 9
Margerita 6
o. Cuni 8
Roccaſparvieras
Demone 5
Vinai 5
Sambucco 8
Barceis 7

Simul 250.

Hic eſt initium montis Argenteræ vulgo dicti.

Huc vſque numerãtur mill. Italica: ſequentia ſunt Gallica.

Ciatellart 8
o. Barcelonnette 9
Meiolans 6
Loſet 7
La Briolede
Proveno 7
Belle ſarce 10
La Motte 7
Nozzeri 7
o. Ciſteron 8
Maleſogace 9
S. Eſtienne 9
Lhoſtar novo 2
Hoſp. Verrera 2
Hoſp. Gmach 3
Zatte 3
Bonnetto 3
Baſtida 3
Chateauneuf 3
o. Avignon 3

Simul 105.

ITER ROMA ALEXANDRIAM, ASTAM, TAVRINVM, indeque AVENIONEM.

Genuam vſque numerantur mill. 245.
Vide Tabellam Liguriæ.

Ponte decimo 15
Preallana ſacra
Ficon
Voltagio 9
Gavio 5
Teſſarel
Francavilla 3
Baſalriſto 5
Boſco 4
Figarolo
o. Aleſſandria 6

Simul 290.

ALEXAN-

ALEXANDRIA vulgo Aleſſandria delle Paglia dicta, eo quod Impp. Rom. vt quidam fabuloſe tradiderunt, ibidem coronabantur palea. Eſt vrbs foſſis, altis propagnaculis & vallo ſatis munita, ædificata anno 1178. à Mediolanenſibus, Placentinis & Cremonenſibus eo loci vbi vicus Roveredo, vt cōmodius Papienſibus hoſtibus obeſſe poſſent. Et quo novæ vrbi, maior autoritas accederet ab Alexandro tertio Pontif.Rom. Alexādria appellata fuit. Solum Alexandria habet fertile, homines ingenioſos & animoſos, vnde in eorū ſigillo ſculptum invenitur: deprimit elatos, leuat Alexandria ſtratos. Obſedit eam Barbaroſſa ad 6. menſes, eamque funditus delere conatus eſt, ſed cum animum incolarum videret invictum, re infecta receſſit. Vide Tabellam Pedemontani Principatus.

Filzam	9	o. Aſte	10	Simul 19.

ASTA vulgo Aſte civitas eſt pervetus, nobilis, lauta, dives, frequens, ſplendideque ædificata, bono & fæcundo agro, frumentique ac vini, cæterarumque rerum, ad vſum mortalium opportunarum fertili. Primum in Vicecomitum poteſtatem, Luchiui temporibus anno 1348. devenit, & poſt in illorum, Mediolani quoque Principum Ditione manſit, donec à Ioanne Galeatio primo Mediolanenſium Duce, nomine dotis Valentinæ filiæ, Duci Aureliano Gallo nuptæ, data eſt. Deinde penes Gallos ſtetit vſq; ad annum 1529. quo Per conditiones pacis Cameraci factæ, ab Franciſco primo Gallorum rege, Carolo quinto Imp. Aug tradita eſt, qui eam Sabaudiæ Duci ſanguine ſibi iunctæ, donec viveret conceſſit, poſtque, cum illa deceſſiſſet, Emanueli Philiberto filio, ex Carolo Duce, eam condonavit. Calamitates maximas ex contentionibus odijſque civilibus eſt paſſa. Vide dictam Tabellam.

Blot	6	Panarol	16	o. Turino	6
					Simul 28.

TAVRINVM vulgo Turino, ad oſtium in Pado Durie, vetus eſt civitas. Conditam tradiderunt nonnulli ab Eridano ſeu Phaetonte, qui ad maris Liguſtici oram, ex Ægypto, cum magno comitatu delatus, filium genuinum cis Alpes reliquerit, ipſe trans montes profectus vrbem hanc ædificaverit, Eridanum à ſe dixerit, & poſt tempus aliquod hinc decedens, Liguri filio tradiderit incolendam. Alij Lamiſonem vnum ex Noë nepotibus auctorem loci aſſerunt, qui tractum inter Padum & Ticinum amnes vniuerſum, eiectis primis habitatoribus tenuerit, & à ſe Lamſonem appellaverit, qua voce gentis lingua Taurus ſignificabatur, vnde poſtea Taurini nomen

men

men profectum, Stephanus Grammaticus Taurinum à Tauro Maſſilienſium (cuius gentis colonia ſit) inſigni dictum auctor eſt. Vtcumque tamen hæc ſe habeant priſcis temporibus nobilem vrbem fuiſſe vel hinc intelligere licet, quod colonia Romanorum erat. Iacet ad montium radices, forma quadrata, cum portis quatuor, nobilitate civium maximè clara, ſplendidis etiam ædificijs ornata, inter quæ ſummum Templū: Gymnaſium habet omnium diſciplinarum; mirificeque rebus omnibus ad vſum vitæ neceſſarijs & vtilibus abundat. Agro eſt per bono ac fertili, maximè vero verſus Orientem & Auſtrum cum vallibus ferri copia fæcundis. Taurino memorat Livius Annibalem petitum. Id Longobardicorum Ducum ſedem fuiſſe Paulus Diaconus, Blondus, Sabellicuſque perhibēt. His vſque ad captum bello Catoli Magni Deſiderium regē paruit. Dein aut in Italię regum, Imp. Montisferrati Marchionum, & Sabaudiæ regulorum ditione fuit, vſque ad annum 1536. quo à Franciſco primo Franciæ rege ſubactum, & cum ab illo, tum ab Henrico Rege filio ſucceſſoreque deinceps poſſeſſum, donec hic Emanueli Philiberto, ſororem Margaritam in vxorem dans, oppidum totamque provinciam à parente occupatam reddidit. Vide dictam Tabellam Pedemontij.

Rivoli	6	S. Michel		Boſolengo	3
S. Antonio	2	S. Ambroſio	2	o. Suſa	5
Auiglano	2	S. Georgio	7		Simul 27.

SVSA oppidum eſt iuxta montis Ciniſij radices. Supra Suſam Alpes gemina via patent in Galliam, vna quæ ad dexteram, in Sabaudiam, altera quę ad lęvam Gratianopolim ducit.

Sequentia ſunt milliaria Gallica. Vide Tabellam Pedemontij.		S. Martin	2	Empura	3
Eſilles	3	S. Creſpin	3	Sadoron	3
Vrzes	4	o. Ambrun	4	Sault	3
Sexane	3	Torſes	4	Mormeron	5
o. Briancon	4	o. Talart	4	o. Carpentras	3
		Saulces	1	Treague	2
		S. Lazare	3	o. Avignon	2
					Simul 54.

AVE-

Avenio vulgo Avignon civitas eſt inſignis, de ea dictum in libello deliciæ Galliæ inſcripto, quem conſule Lector.

Iter Roma Chamberiacvm, vulgo Chambery.

Suſan in itinere præcedenti numerantur mill. 364.
Vide dictam Tabellam.

- Novaleſe 1
- Scande montem
- Ferriera 1

Adhuc ſcandendum vſque ad inſigne Crucis, in montis faſtigio, diſtat ab hoſpitio Ferriera mill. $\frac{1}{2}$

Inde via ęquali pergitur ad domum dictam Tavernette aut La Poſte itinere mill. $\frac{1}{2}$

Inde iter eſt planum vſque ad domum in qua ſervantur arborum rami quibus inſidentes viatores ſe è mõte demittunt, diſtat hæc domus ab La Poſte mill. $\frac{1}{2}$

Simul 367$\frac{1}{2}$.

Hinc numerãtur mill. Gallica

- Luneborgo 1
- Dreſmon 2
- Soliers 1
- Braine 1
- Bourget 1
- S. Andre 1
- o. S. Iehan de Morienne 1
- Pont Armilloy $\frac{1}{2}$
- Pont regnart 2
- o. La Chambre 1
- Argentine 1
- Aiguebelle
- Chamenis 1
- Ribaut 1
- o. Montmelian $\frac{1}{2}$
- o. Chambery 3

Simul 17$\frac{1}{2}$

Chamberiacvm vulgo Chambery Sabaudię eſt Metropolis ſita in regione antiquotum Antuatum. Præ alijs Sabaudiæ vrbibus excellit, in eaq; Sabaudiæ principes fere degunt, qui ſedem Tribunalis totius Sabaudiæ (vulgo Parlamentum vocant) in ea collocarunt.

Iter Roma Lvcam.

Piſas vſque in itinere pręcedenti numerantur mill. 165.
Vide Tabellam Thuſcie.

- S. Piero 8
- o. Luca 2

Simul 175.

LVCA vrbs eſt Hetruriæ ornatiſſima, antiquitus Lucomodia atque etiam Aringia nominata Romanorum colonia, tota plana, & collibus vndique circumdata, quadrato Silice ſtrata, ſpacio parva, ſed populoſa & negociationum plena, templis magnifica & ſplendida, A clypeis quibus turres eius antiquitus ornatæ erant, Luca dicta putatur. Inter Italiæ civitates ſola libertatem tuetur, protegente eam Hiſpaniarum Rege. Ædificijs eſt elegans, Tormentis bellicis, & munitionibus, veluti aggeribus, foſſis & mœnibus fortiſſima inſtructiſſimaque, Portas habet tres S. Petri, S. Donati & Burgi. Porta S. Petri exteri omnes ingredi egredique coguntur, nec intromittuntur niſi profeſſi ſua nomina, quo facto ipſis datur Teſſera, quam excubias ſub porta agentibus exeuntes reddunt. Excubiæ ſi vſpiam, hac certe in civitate exactiſſimè interdiu noctuque à 300. armatis habentur, ſinguli centeni defenſioni Curiæ, portarum, mœniorumque deſtinantur. Palatium ſive Curia nova inſignis eſt Fabricæ; in ea Antiani ſiue Conſules & Senatores continuo commorantur novem noctes dieſque, ibique ſumptibus publicis aluntur, vt pro libertate excubent, eamque conſervent; duobus tamen, quos ordo tangit domi pernoctare conceditur. Conſeſſui eorū deputata eſt aula maior ſub ſigno Pardalis, cui ſubiuncta eſt ſcriptura quædam, ſed vel ipſis civibus nedum exteris, propius accedere, velut ad locum ſacrum haud permittitur. Ab alia parte, vbi eorum cubicula ſunt, lapidi inſculptū eſt. Perlege quiſquis ades libertatis fautor, vt ſcias, qualis fuerit in Republica noſtra Podiorum familia; horum opera Petrus Zenanus vnus ex Antianis interemptus fuit. Anno deinde 1522. animo libertatis opprimendę Hieronymum Velutellum vexilliferum Iuſtitię fędiſſimè trucidarunt, &c. Non procul à Curia ædes eſt privata, ante quam pictura equitis veſte rubra, & iuxta imago Serpentis puerum deglubentis, cum ſubſcriptione: Nicolao Picinino ductori clariſſimo, Lucenſis Senatus, ob patriam iuſſu Mediolanenſis Ducis longiſſima obſidione liberatam, picturam hanc vetuſtate collapſam renovari curavit. Iuxta vrbis mænia ædificium eſt ſic ſatis magnum, quod Cittadella appellant, coquēdo pani deſtinatum eſt, præcavendi incendij cauſa, quod perſępe cauſa Piſtorum ſparſim per civitates habitantium, incendia exoriantur. Hi igitur novem Furnis ibi, nec alio loco panem coquere coguntur, coctumque domum deferunt, aut in Tabernis vendunt, Via Regia Portulus eſt Lucenſis, quem Præſidiarij milites duabus tuentur Turribus, vt pyratis Turcicis obviam eant.

ITER ROMA PLACENTIAM, TICINAM, VERCELLAS, IVREAM, ET AVGVSTAM PRÆTORIAM.

Vide

Vide Tabellam Ducatus Placentini.

Sarzanam in itinere Roma Genuam verſus numerantur mill.	99.	Villa franca	4	Specchio	12
		Pontremoli	7	Lauenalto	7
		Buſſo	8	Riua	10
Lauſa	10	Belforte	7	o. Piacenza	8
				Simul	172.

PLACENTIA vulgo Piacenza vrbs, ſitu eſt amęniſſimo, pulcherrimaque ædificijs ſemper fuit, vti plures nominatam à placendo Placentiam autument. Poſita eſt iuxta Padum loco periucundo, campis & agris collibuſque cincta fertiliſſimis, vino, oleo, frumento, fructuumque omnis generis optimorum copia abūdātibus, Plana pratis & paſcuis fæcundiſſimis beantur, manufactis vicinorum fluminum ductibus irrigua: ex quibus pecuariæ rei ſumma oportunitas, & quęſtus vberrimus vrbi eſt, Cui idcirco famam non ignobilem vbique terrarum, Caſei ibidem confecti præſtantia parit: qui tanta copia, & tam boni ſaporis hinc exportantur, vt qui ſummum commendationis gradum Caſeo quærunt, eum Placentinum eſſe dicunt. Habet idem ager ſalſos fontes, ex quorum liquore Sal coquitur candidiſſimus. Habet ferri fodinas, nec deſunt Syluæ ſaltuſque venationibus apti: igitur ob tantam ſitus commoditatem, rerumque omnium abundantiam, vrbis aſſiduè nobilibus civium familijs multis excolitur, & mercatoribus frequens eſt. Templa hic & civium ædificia magnifica ſunt. Fons vrbis vetuſtus eſt, & præclarus, ab Auguſto Cæſare nomen adhuc habens. Monaſterium quoq; hic novum ſumptuoſe exſtructum nuper à Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico. Vrbis muri novi, propugnacula ampliſſima, & munitiones inſignes, quibus nunc vrbs hæc, inter Italiæ tutiſſimas habetur, quæ prius varijs bellis afflicta, vi ſæpius expugnata incenſa ac direpta, plurimis annis fœde vaſtata iacuerat. Arx in ea eſt cuius aggeres, foſſę, muri, Turres ac propugnacula ingentis ſumptus & operis, ingenioſi, pro huius ævi ſolertia: munitiones ac ſtructuræ ad vrbem coercendum hoſtileſque impetus propulſandos accommodatæ ſunt. Vide Tabellam Inſubriæ.

Rotofredi	8	La Vale	13	
C. S. Ioanni	7	o. Pavia	4	Simul 32.

TICINVM vel PAPIA, vulgo Pania condidiſſe Leuos & Mavicos Ligures, ad amnem eiuſdem nominis,

 non

non procul à Pado Plinius auctor eſt. Alij à Gallis Boys & Cenomannis conditam volunt: quos Eutropius & Paulus Diaconus ſequi videntur. Vrbs illa Romano ſuccumbente imperio, primum à Hunnis Atyla Duce: mox ab Odouacro Herulorum rege vi expugnata, direpta & muris complanatis incenſa fuit. Poſtea Lõgebardi eam tenuere, ac ſedem regni fecere multiſque præclaris ædificijs excoluere, quorum Paulus Diaconus meminit. Fuit ex ijs D. Claræ monaſterium à Peterito conditum, à Theodorina regina D. Mariæ Perticalis ædes; à Luitprando rege, D. Petri cæli aurei cænobium, in quo D. Auguſtini corpus, ab eodem rege è Sardinia deportatum, ſervatur: Hic caſtrum Galeatij primi Ducis Mediolanenſis eſt, & ſtatua celebris ac pervetuſta ex ære, quam Antonini Pij quidam eſſe colligunt, ex vultus lineamentis ac barbæ forma. In itinere Ticino Mediolanum apparent vivarij capaciſſimi ſepta, murus lateritius, ſed magna ex parte nunc dirutus & deiectus, qui millia paſſuum 20. in quadrum circumductus, concludebat arua, ſylvas & prata feris enutriendis deſtinata, in quibus olim Apri, Cervi, Damæ, Capreoli, Lepores & id genus animalia ad venationem continebantur. Autor eius operis Ioannes Galeatius, in ijſdem ſeptis caſtra ſua metatus erat Franciſcus primus Galliæ rex, Ticinum obſidione premẽs, cum à Caroli quinti Imp. Ducibus Lannoio & Borbonio, victus prælio caperetur, cum rege Navarre & præcipuis Galliarum Principibus anno poſt Chriſtum natum 1525. Vide dictam Tabellam.

Mirabello	12	Palaſtro	12	
Mortara	12	o. Vercelli	8	Simul 44.

VERCELLI civitas antiqua Epiſcopalis ad fluvium Sentiam vel Sceſiam ſita, perhoneſta nobiliſque eſt, ac rebus omnibus ad vſum hominum vtilibus affluens, vberrimo agro, & frumenti, vini, cæterarumque frugum maxime fertili. Cum prius rudiorum ſeculorum more, non ſatis luculenter eſſet ædificata, ſuperioribus annis in meliorem eſt redacta formam, nuncque ornata ſplendidaque ſatis apparet. Bis quotannis nundinarum convẽtibus frequentatur, varijſque ex partibus huc mercatores negociandi cauſa, maximè vero re pecuaria Lanariq; confluunt. Diu quondam miſerè civium inteſtinis contentionibus afflicta fuit, partibus diviſa, videlicet Advocatorum & Titionum quæ ſæpenumero inter ſe dimicantes, civitatem in ſummas calamitates adduxère, ſicut ſcribit Merula, tandemque Principatum rapuerunt Advocati, circa Annum à C. N. vt Corius autor eſt 1310. Dein in Ditione Marchionum Montisferrati nominatim Bonifacij Tertij fuit, ac item Vicecomitum Mediolani regulorum: ab Matheo, vſque ad Philippum Ducem, à quo Amedeo primo Sabaudiæ Duci, cum Maria filia, dotis nomine tradita eſt Anno 1429. deincepſque à Sabaudiæ Ducibus ſtetit. Vide dictam Tabellam.

o. San-

o. Santia	8	Brole	4		Simul 28.
o. Vaſtigne	12	o. Inurea	4		

Tivrea vulgo Inurea civitas ab alijs Lampo regium dicta, ſed Straboni Eporedia, Situ eſt edito, inter duos altos colles, qui vallis Auguſtæ Prętoriæ fauces efficiunt, Arce ab lęna munitiſſima imminente, vbi templum ſummum pervetus, Virgini matri ſacrum, in quo D. Beſſi quondam vrbis Antiſtitis oſſa conſeruantur. Intercurrit mediam amnis Duria, per quem celſiſſimo ponte civitas iungitur. Agrum ab Auſtro non infructiferum habet, à Septentrionali plaga peraſperum vſque adeo, vt vix Caſtaneas ferat: paſcuorum tamen oportunitate, cum anni tempus eſt ad rem pecuariam vtilis, vnde tum vellerum abundantia, cum lactis copia, figurando Caſeo Salaſſo, ſic & olim, & hac etiam memoria, percipitur.

Ponte di S. Martino	12	Mongiovet	11	o. Aoſta	12
Bard	5	Caſtillon	7		Simul 47.

Avgvsta Prætoria vulgo Aoſta, vrbs eſt Salaſſiorum. In eam colonos Romanos hominum tria millia Cæſarem Auguſtum collocauiſſe, cum prius hic caſtra habuiſſet Varro, à quo reliquiæ Salaſſorum erant deletæ, ſcribit Strabo. Hinc Auguſtæ nomen accepit locus, quanquam id alij natum dicant, ab alio prius Auguſtali Prætore, quippe quem Auguſtus miſerat. Iacet ad geminas Alpium fauces, Graias atque Pœninas. Inſcriptionem hic in Alpium Trophęo extitiſſe idem quoque Plinius memorat huiuſmodi: Imperatori Cæſari, Diui Filio, Auguſt. Pontif. Max. Imp. XIIII. Tribunitiæ poteſtatis XVII. S. P. Q. R. i. Quod eius ductu auſpicijſque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant, ſub imperium Pop. Rom. ſunt redactæ.

Iter Roma Vigevanvm et Novariam.

Ticinum vſque numeratur in itinere pręcedenti mill. 204. Vide dictam Tabellam Inſub.		Tordiſola	5	o. Vigevano	3
		Zerbolo	5		Simul 222.
		La Sforcheſcha	5		

VIGEVANVM vulgo Vigevono civitas eſt honeſta lautaque, copia rerum ad vitam vtilium affluens, agro perbono ac vbere, frumenti, cæterarumque frugum fertili, gnavis & induſtrijs colonis, præſertim negotiatione textilium ex lana, quæ mirifica hic copia fiunt. A Ducibus Mediolanenſibus, decorem quo iam nitet, eſt adepta, maximè à Galeatro & Ludovico Sforcia, qui tum alia ædificia præclara, tum arcem ſumptuoſiſſimam adiecerunt, & habitare frequenter hic erant ſoliti. Vide dictam Tabulam.

Cerone	5	Sozago	3	o. Novara	7
					Simul 15.

NOVARIA vulgo Novara vrbs eſt modico in colle ſita, partim plano agro, ameno ac fertili, partim montoſo ſterilique. Diu ſub Mediolanenſium Principum ditione fuit, primum Turrianorum, deinde Vicecomitũ, poſtea Sfortiarum, itemque Franciæ regum, vti ipſum imperij caput Mediolanum. Ad Novariam Ludovicus Sfortia Dux, ab Helvetijs proditus venditusque Gallis eſt Anno 1500. poſteaque Anno 1513. cũ Maximilianum Sfortiam Ludovici filium, Ioannes Iacobus Trivultius ſtrenuus militiæ Præfectus, itemque Paliſſa Regis Galliç Duces in ea obſiderent, ab eadem gente, iam tum ſuperioris temporis, adverſus Ludovicum iniuriam & labem ſarcire ac eluere cupiente, tantis animis, tantaque vi, pugna ad Riotam, haud procul ipſa vrbe petiti, vt plane funderentur fugarenturque Galli, ac obſidio Nouariæ ſolveretur,

---

ITER ROMA MEDIOLANVM, SEXTIVM, ARONAM, DOMODOSCELLAM, SEDVNVM vulgo Sitten.

Ticinum vſq; numerantur in pręcedenti itinere mil. 204.	Certoſa	5	
		Simul. 209.	

CERTOSA nobile & famoſiſſimum eſt monaſterium Carthuſianorum. Huius templum marmore mira arte elaborato incruſtatum vndique eſt: Altare vero ſummum ſolido ex ebore, figuris exilibus, & operis admirandi. Fons itidem hic pulcherrimus & marmoreus. Fundauit id Ioannes Galeatius Mediol. Dux, & multis auxit reditibus, adeo vt XXV. millia aureorum in cẽſu habere iudicetur. In templo Ducis effigies, cum ſuperbo & eximio eius & vxoris marmoreo monumento. Vide Tabellam Inſubriæ.

Binaſco

Binaſco 7 o. Milano 10 Simul 17.

MEDIOLANVM vulgo Milano vrbs eſt antiquiſſima poſt Romam maxima. Eius Fora ſpacioſa, plateæ ampliſſimæ, ædificia pulchra. Ager Mediolanenſis, tam cæli temperie, quam Soli fertilitate affluenti rerum copia ditiſſimus. Vnde civitas ipſa populóſa ob Alpium vicinitatem, & proprijs fulta viribus, Inſubrum caput ſemper eſt habita, quamvis autem frequenter internecinis attrita bellis funditus exciſa, ad extremum etiam hoſtili Aratro ſulcata fuerit: floridior tamen vſque reſuſcitata adeo mox crevit in altum, vt inter potentes vrbes Italiæ nunquam poſtrema fuiſſe videatur, Vix dici poſſet quantis divitijs, rerumque omnium copia quãta, nunc abũdet: item quam plena ſat omnium artium opificiorumq; ſcholis & officinis: adeo vt iam vulgato proverbio dicatur, Mediolanum deſtruendo, Italiam inſtrui poſſe, nimirum quorumvis artificum copia. Hic regium Portę Ioviæ caſtrum, quo in Europa nullum eſt fama celebrius, ob eius magnitudinem, operum ac munimentorum amplitudinem. Iuſtæ enim vrbis capacitate, vicos, plateas, fora, palatia, fabrum omniſque generis mechanicorum artificium tabernas operarias, in ſe complectitur, nullius opis indigens externæ: ſed commeatu, annona, rerumque omnium copia, bello paceque neceſſariarum abundans. Effundit oppidorum inſtar vndique vaſta propugnacula; circumambiunt foſſę latiſſimæ, profundis amnibus perfluæ, & vtrimque parietibus lateritijs evectę. Muri craſſitudine ſtupendi, fulciunt Aggeres latiſſimos, & meatibus concameratis pervios. Ex quorum Pinnis & Feneſtellis, per caſtri totius & propugnaculorum circuitum exerunt ampla capita Tubi ænei ingentes, Tormentorum bellicorum prægravia pondera, rotis ferratis impoſita: qui ſulphureo puluere inflammati, globos ferreos pondo D.CCC. vel amplius, evomere in hoſtem, vel adverſam molem poſſunt, atq; obſtacula quęque maximo cum fragore proſternere. Armamentarium Arcis capaciſſimum amplitudine, & armorum telorũque omnis generis ornatiſſimorum infinita copia refectum. Templum divæ Virginis Gratiarum, Arci vicinum eſt, in eo eſt ædicula maximi ſumptus & artificij marmórea, quam ibidem olim Dux Ludovicus Sfortia magnificentiſſimè iuſſit excitari cum ſepulchro, & ad vivum exſculptis imaginibus ipſius, ac Beatricis vxoris ſuæ: ſed vt rerum humanarum exitus incerti ſunt, fefellit conſilium eius fortuna, nec condi tam ſplendido in tumulo potuit, ſed hoſtium dolo captus, ac in vlteriorem Galliam deductus carceri fędo incluſus obijt. Vnde & imperfectum monumenti opus adhuc iacet. Ad forum eſt ſummum Templum, Domum appellant, Baſilica eſt perauguſta, ſumptus immenſi ac amplitudinis artificijque tanti, vt pauca prorſus quæ in orbe Chriſtiano nunc extant Templa, huic conferri poſſint ſive magnitudinem, ac architecturam ædificij ſpectes, ſiue precia materiarum æſtimes: reſplendet etenim non ſolum intus foriſque cruſtis marmoreis intecta, verum etiam artificioſarum ex marmo-

marmore Pario ſtatuarum incredibili multitudine circumquaque adeo perornata eſt: vt integros dies ſpectatorum oculos artium ac hiſtoriarum varietate detinere poſſit, in ſacrario ſunt rara donaria Archiepiſcoporum Vicecomitum ac Ducum Vaſa ac veſtes ex auro & argento, gemmis ac margaritis preciosiſſimis expolitæ, itemq; reliquię diuorum in perornatis ac ineſtimabilibus conditorijs poſitæ, Turris ediſiſſimæ moles altiſſima eſt. Ex eius ambitu inferiore, cerni poteſt vrbis ſuburbiorumque ſitus planus, regioniſque circumvicinæ ſpacium ac cōditio, provinciaque non vrbs videtur: eſt enim Mediolanum opportuno admodum loco inter fluviorum rivos poſitum, vt præter vberrimas, quas habent agri vicini fruges, è Gallia Ciſalpina, & Alpibus etiam, rerum omnium copia, tam ad vſum, quam ad delicias, eo comportari facile queat. Suburbia habet longa lataque, quorum nonnulla, cum magnis civitatibus certare poſſunt: quæ latis aquarum foveis vndique, non ſecus atque vrbs ipſa cinguntur. Ductuum commoditate, vndique navigijs Lauta annonæ copia in vrbem defertur quotidie, vt nihil non ibi precio vili venundetur. In æde D. Ambroſij in nemore, eſt gemmis decoratum ac laminis aureis veſtitum Altare, æſtimationis XXVIII. aureorum. Itē liber vetuſtiſſimus in papyro ſcriptus manu (vt fertur) D. Ambroſij. Suburbanum Xenodochium vel Noſocomium, iugerum aliquot ſpatio ampliſſimum, via Bergomati quadrata forma, à Sfortijs Ducibus inchoatum impenſa maxima fuit, ſed neutiquam abſolutum, in eo tradunt tot habitationes ægrorum conceptas ac deſignatas fuiſſe, quot dies annus vertens complectitur. D. Laurentij Fanum ingens eſt, in ruinis templi Herculis excitatum, quod Maximianus Herculeus, Diocletiani in Imperio collega, ibidem in patria (vt tradunt quidam) ſua: ſumptuoſiſſimum extruxerat, cum Thermis, eiuſdem nominis, Herculeis. Extant adhuc ſedecim ſtriatæ columnæ peraltæ, operis magnificentiſſimi veſtigium, porticus olim ſiue propilei Theomarum, aut Templi dicti reliquiæ. In Stabulo regio videntur per equilia diuerſa, Hiſpanorum, Campanorum, Sarmaticorum, Turcicorum, Theſſalicorum ac Peloponeſiacorum equorum ſpecioſa corpora. Palatium Gubernatoris fabricæ eſt antiquæ ampliſſimumque: in eius foribus milites aliquot Hiſpani ſemper excubant. Germani autem aliquot ſubſerviunt tutelæ ipſius Gubernatoris. In Aula prima, qua ad ipſius conclave itur, infinita inſignia ſunt depicta, provincias & terras ditioni Regis Hiſpaniarum ſubiectas deſignantia. In altera, ipſe Rex in Solio ſedet depictus, cum hac inſcriptione: Philippus ſecundus Rex Hiſpaniarum & Max. Provin. Catholicæ fidei defenſor. Sub pedibus eius beſtia conculcata iacet, circumcirca depicti videntur 10. Impp ex Auſtriaca domo oriundi. Inibi quoque pictura eſt expeditionis Burgundicæ, & victoriarum adverſus Regem Galliæ obtentarum. Vide Tabellam Inſubriæ.

Monzon

Monzon	11	Buſto	10	o. Seſto	10
					Simul 31.

SEXTIVM vulgo Seſto oppidum ad Ticini fluminis è Verbano lacu emerſus, Sexto Calendas aliqui nominandum aſſerunt, quoniam eo cuiuſque menſis die, quondam huc ad nundinas vel ſacra finitimorum agrorum coloni convenire ſolerent; vnde nomen enatum loco putant, id vero ædem quæ hic ſit, vetuſtiſſimis quibuſdam literis docere, quibus aperte ſignificetur, olim agreſtem huius ſitus multitudinem, Herculi, Mercurio, Sylvano, ac etiam Pantheo ſacrificaſſe. Vide Tabellam Inſubriæ.

o. Arona	8

ARONA nobile & munitiſſimum eſt caſtrum in ripa Lacus Verbani (qui nunc vulgo Lago Maiore dicitur) cum portu, infra maximè tuto. Difficili etiam & præcelſo in monte, qui Lacum ſpectat, Arx eminet, tam ab natura loci, quam operibus invicta, nimirum ſi res ad tutelam neceſſariæ defenſoreſque non deſint, compertum id Anno poſt C. N. 1522. cum ab exercitu Gallico 15. ingentibus Tormentis inſtructo, dierum 37. ſpacio, nequicquam obſeſſa, grauiter oppugnata eſt. Vide Tabellam Inſubriæ.

Bugira	8	Margoſo	3	Simul 25.
Ene	8	o. Domo	6	

DOMO DOSCELLA vulgo Domo, honeſtum & frequens eſt oppidum cum Arce munitiſſima, media in valle montibus vndique conſepta. Tſchudus libro de gentibus Alpinis Domodoſcellam ab ęde collegiali, quam Itali vulgo Domum vocant, tanquam Domum Oſcellæ dictam ſcribit. Tota vallis ab ipſo etiam oppido Domodoſcellia nominatur.

Frontino	16	Sequentia ſunt mill. Helvetica.		Leug	3
Denedro	13			o. Sitten	3
Sampione	8	Brig	3		

SEDVNVM Germanicè Sitten, Gallicè Syon, pro patriæ more elegans eſt civitas, creſcitque indies ſplendor ædificiorum. Adiacet vrbs monti, qui in media planicie, inter altiſſimos montes, vallem claudentes, ſenſim

verſus Ortum conſurgit bifurcaturque in duo petroſa faſtigia, ſeu eminentes colles, qui dextram tenet alluitur in ſubiecta valle Rhodano, vocaturque Valeria, quæ olim fuit Arx munita. A ſiniſtra civitatis, & à domo Epiſcopi, aſcendit leniter mons petroſus, & valde Auguſtus, fitq; gradatim multo ſublimior quam ſit Valeria: Habet vtrinque præcipitia profunda, quæ non facile humano labore & ſudore conſcendi poſſunt, præſertim à latere Septentrionali, duratque hic adſcenſus ad ſpacium iactus Bombardæ, in cuius ſumma extremitate Arx conſtructa valde amęna munitaque eſt, ea Ter Byle vocatur, habens multas elegantes & amęnas manſiones.

ITER ROMA COMVM, LVGANVM, LOCARNVM.

Mediolanum vſq; in pręcedenti itinere numer. mill. 226.	Vide Tabellam Inſubriæ. Berlaſioa	15	o. Como 12 Smul 253.

COMVM vrbs eſt parva ſed opulenta & pulchrè ædificata, ab vna parte agrum habens fertilem & peramęnum, ab altera Lacum Larinum, qui ab illa Comacenus appellatur, & in longitudine XXXXII. in latitudine III. millliaria continet, ac laudatiſſimis piſcibus abundat; flumen Abduam è iugis Rheticis accipiens, & ſupermeantem, vt oculis cerni poſſet, ad Leucum Pado reddens, ſic dictus voce Hetruſca, quod Princeps & Rex cæterorum Lacuum ſit, vrbs condita à Thuſcis, inſtaurata à Gallis, cum Thuſcos his ſedibus eieciſſent, aucta à Strabone, Magni Põpei patre, L. Portio & Catone Coſſ. deducta, nova colonia à Iulio Cæſare ac Novocomum appellata, poſſeſſa à Gothis, Longebardis, Ducibus Mediolanenſibus, Regibus Galliæ, & Imp. Rom. ingentem noſtra ætate calamitatem à Imp. Caroli V. Legionibus accepit, quod fuſos acie Gallos, intra męnia receperat. Nam cum illi ſe munitionibus hic ſepſiſſent, eiecti mox à victoribus, vrbis diripiendę cauſam præbuere. Colonos induſtrios habet, & in re facienda ſolertes, cum Ticino & Mediolano in ditione Regis Hiſpaniarum manet. Murum qua parte Mediolanum ſpectat, Ioannes Vicecomes, Archiepiſcopus & princeps Mediolan. Anno 1354. dedit, qui & caſtellum turris rotundæ condidit. Templum Cathedrale ſatis magnificum, in fronte duas ſtatuas marmoreas habet quarum vna Caij Plinij cum inſcriptione: Ordo populuſquę Comenſis, C. Plinium. II. macte ingenio virum, dignatione clarum, doctrina admirabilem, vt qui olim Impp. Cæſarum Veſpaſianorum amicitiam meruerit officia maxima geſſerit, ac ſcriptores vniuerſos copia & varietate ſuperauerit, municipem ſuum incomparabilem ſtatua & elogio ornavere:

Tantus

Tantus honos, dulciſque iuvat me fama ſecundum
At magis concives hoc poſuiſſe meos.

Altera Caij Plinij II. qui conſulatu, auguratu, militia, geſtis ac orandis cauſis, poematibus & hiſtorijs conficiendis Cæſari Traiano Auguſto luculentiſſimè laudando afficiendoque, immenſa liberalitate patria ſua eidem immortale contulit ornamentum: Ordo Comenſis concivi ſuo deſiderabili honore accepto monument. p. M. CCCC. XCVIII. Cal. Maij.

Functus eram, ſed ſum veteri præclarus honore
Vivebam, perij, nunc quoque vita mihi eſt.

Extra portam fons eſt, quem vulgo Lo Pliniano vocant, is quotidie creſcit & decreſcit nouies, ad lacum Amenis ſitus; vnum latus exornant caſtaneæ, alterum Oliuæ; diciturque Plinius ad eum ſcripſiſſe hiſtoriam naturalem. Vide dictam Tabellam.

Codilago	8	o. Lugano	8	Simul 16.

LVGANVM vulgo Lugano nobile ac opulentum eſt oppidum, à quo nomen lacus habet. Olim munitiſſima Lugani Arx erat ſed exciſa eſt. Vide dictam Tabellam.

o. Locarno	12

LOCARNVM, Italicè Locarno, Germanicè Luggaris appellatur. Sic autem appellatum plerique exiſtimãt quod ſit quaſi locus carnium, quia ager bonis ſuavibuſque carnibus abundet. In plano ſitum eſt, inter radices montis altiſſimi & Verbani lacus ripam. Orientem verſus ad fines agri Bellizonẽſis, campus eſt ampliſſimus, fœni in primis ferax, per quem Ticinus amnis delabitur. Non procul vero ab oppido inter iam dictum campum & ipſum oppidum, & inter montis radices, & Verbani ripam, prædia ſunt lætiſſima frumenta vinumque ſimul ferentia. Hi olim latius patebant, ſed à vicino fluvio vaſtati ſunt & abrepti. Montes vero longo tractu porrecti vitibus optimis, ordine pulcherrimo diſpoſitis cõſiti ſunt, Porro oppidi amplitudo è familiarum numero cognoſci poteſt, numerantur enim familiæ plus minus quadringentæ. Oppidum nullum eſt ad Verbanũ Lacum, quod Locarnum amplitudine vincat, Nobiles quoque habet plures, quam vllum aliud, ideoque primarium & princeps oppidum eſt. Quanta autem ſit loci huius amænitas, ex iam poſita deſcriptione ſatis liquet. Aëris vero tem-

peries, clementia & ſalubritas tanta, quantam optare liceat. Auſtri non niſi refracti & retuſi eo perveniunt, propter obiectos montes, Boreas & ipſe ſæpe clementior eſt, propter altitudinem montium, oppidum hoc quaſi tegentium, Ab Oriente in Occidentē perflatus eſt liberrimus, multæ ibi ſtagnantes aquæ, nullæ paludes, in ſumma locus ſatis amænus eſt. Habuit ante annos non ita multos ampliſſimam & munitiſſimam Arcem, Turribus multis inſignem & claram, magna foſſa circumdatam; Sedes quondam fuit Ruſcarum comitum præcipua. Galli Arcem annis aliquot tenuerunt ab Anno Domini 1499. vſque ad Annum 1513. Comitibus Arce quidem priuatis, ſed non pulſis, In ea Palatium erectum eſt, quod etiamnum integrum & intactum viſitur, eſtque Prætorium, hoc eſt, domus Præfecti, in qua habitat ipſe quoque interpres & ſatelles, ambo Helvetij. Portus intra Arcis muros eſt egregius in quo naves armatæ olim ſeruabantur. Anguli eius quatuor (eſt enim quadrangulus) Turribus totidem muniti erant, in ambitu murum habet bene firmum. Alluebatur tum temporis Verbano Lacu, ideo naves è Portu commodè exponi poterant: nunc tanta illic congeſta à vicino fluvio (Madia dicto) glareæ vis cōſpicitur, vt interuallo ſatis magno à lacu diſtet, diruta poſtea fuit Arx tota, præter Palatium ab Helvetijs Anno ſalutis 1531, Montium Locarnenſium radices & reliqui territorij bona pars, vini, eiuſque generoſi & optimi feraciſſima eſt. In collibus & montibus vites palis alligantur, ſub quibus fœnum nihilominus provenit, in planicie arboribus quos Rumpos vocant, maritantur, à quibus palmites bini & bini prælongi, mutuo implexi ad extremos oculos colligati hinc & inde, ab vna ad aliam arborem traducuntur, ſatis altè ne frumentis & frugibus alijs, que illic ſatæ ſuccreſcunt, impedimento ſint, Palmites hi vberem & incredibilem uvarum provĕtum exhibent, uvæ grandes ſunt, & vt plurimum bene matureſcunt: vnde fit vt preſſis calcatiſque illis, muſti copia exprimatur. Agri in vniuerſum non adeo late patent, ob lacum & montes proximos: ſunt tamen fœcundiſſimi tum Soli bonitate, tum agricolarum induſtria, crebraque ſtercoratione: cum enim agri non multi ſint, oppidum vero ſatis populoſum, ſumma cura, & quaſi in ocio excoluntur; Vicecuplū non raro reddunt; bis in anno meſſis celebratur; nam menſe Iunio demetunt triticum optimum, & quam vocant Siliginem: Secunda meſſis eſt Octobri, Milium, panicum & aliæ fruges è ſecunda aratione & ſatione colliguntur. Montes & valles carnium optimarum, hædorum in primis, copiam mittunt, & ſuppeditant: dein Perdices, Phaſianos, Auiculas, Lepores, Capreas, Butyrum & Caſeum abundè ſuggerunt, Caſtanearum quoque vberrimum proventum, alendis ruſticis idoneum: comedunt illas crudas, recentes, ſiccaſque, ſimiliter & coctas, modo elixatas, modo aſſatas. Ex ijs farinam quoque faciunt, & panes pinſunt farinamque ad alios vſus multos adhibent, imo caſtaneæ nobilium deliciæ ſunt. Proveniunt illic ficus, optima mala ſiue poma multorum generum valde mitia, ſic & Perſica, Pira,

Cera-

Ceraſa, & multi alij fructus non ignobiles vt Pruna multiplicia, Malogranata, Cydoniaque, Oliuæ & Narancia. Lacus piſcoſiſſimus eſt, & multa gignit piſcium optimorũ genera. Mediolanum ſæpenumero piſces, in primis Truttæ, venum mittuntur, in ſumma rerum propemodum omnium ad victum humanũ neceſſariarum abũde ſatis illic habetur. Solius frumenti caritate laborant non raro, ob agrorum paucitatem. Sal aliunde importatur, regio propter vicinos montes & valles, ſylvis cæduis referta eſt, in quibus proceræ ſpecioſæque & pretioſæ arbores Larix inprimis, quæ etiam Agaricum gignit ſelectiſſimum, & Abies, ad ædificia cũ primis expetitę creſcunt, ex quibus Locarnenſes magnum quęſtum faciunt.

ITER ROMA BILITIONVM, vulgo Belinzona.

Luganum vſque in itinere præcedenti numer. mill. 269.	Vide Tabellam Inſubriæ. Belinzona 16	Simul 285.

BILITIONVM vulgo Belinzona oppidum, fuit Comitum Miſaucorum, qui eo ſpoliati à Duce Mediolani, cum denuo per inſidias oppidum cepiſſent, vendiderunt illud Vrijs & Vnderwaldijs: cæterum iiſdem artibus, quibus Miſaucius oppidum Duci ademerat, illud Helvetijs quoq; ademptum, & à Duce recuperatum fuit. Ab eo tempore (facta autem ſunt hæc circa annum Domini 1422.) multa bella Helvetij huius oppidi recuperandi gratia geſſere, & demum anno 1500. eius poſſeſſionem adepti ſunt: cum enim inter Sfortias & Gallos aſſidua bella vigerent, cives vt ſuæ quieti conſulerent ſeſe Vrijs dedidere, cæterum Galli Inſubribus potiti, ſæpe id ſed fruſtra ab Vrijs & eorum ſocijs repetiere. At demum eo tẽpore, quo Helvetijs traditæ ſunt quatuor Præfecturæ à Mediolanenſibus Ducibus, Bilitionis imperium tribus pagis confirmatum eſt. Dividitur Bilitionis ditio in tres Præfecturas, Bilitionum, Vallem Palenſam, & Riuieram. Situm eſt Bilitionum in faucibus, montem præcelſum habens à dextera, collem in læua cum firmiſſimo muro, qui ab arce modica, montis alti coniuncta radicibus, ad aliam maiorem in colle poſitam pertingit; à qua Ludovicus Sfortia Mediolani Dux murum craſſum pedes VII. in longum 16. ſtadia duriſſimo ex Silice duxit per eam planitiem, non minori ſumptu, quam induſtria, cum opportunis etiam ad operis tutelam & munitionem Turribus. Præterea quoq; tutiſſimam Arcem in dextra Belincionis conſtituit Saxum Corberium. Opus id eo conſilio fecerat Ludovicus, vt hoc propugnaculo tanquam obice, furor Helvetiorum reprimi frangique poſſet, qui excurſionibus hac irruere vaſtareque paſ-

 ſim fi-

ſim finitima ſolebant: ſed poſtquam ab ipſa gente. Gallis proditus ad Novariam fuit, ea, rurſus tractum hunc vniuerſum cępit, & partem muri deiecit, cuius etiam deinde partem fluminis Breunij inundatio ac violentia ſubuertit. Vide Tabellam Inſubriæ.

Poleſe	16	Iornico	1	S. Gothardi	2
Hinc numerantur mill. Helvetica.		Pfait	1	Vrſeren vltra Montem	1
Vide Tabellam Helvetiæ.		Ayrolum vſque ad montem	2		

ITER ROMA FLORENTIAM.

Senas vſque in itinere præcedenti numerantur mill. 109.		Stagia	9	S. Caſciano	8
Vide Tabellam Thuſciæ.		Poggibonzi	4	o. Florenza	10
		Tavernalle	6	Simul	146.

Aliud Iter ROMA FLORENTIAM.

Montefiaſcone in itinere Roma Senas numer. mill. 44.		Garnaiolo	11	Baſtardo	8
Vide Tabellam Thuſciæ.		C. Pieve	7	Levana	9
		Caſtiglion	8	Fachine	12
Hoſp. Caprafica	7	Hoſp. Lorſaia	9	Treghi	6
Hoſp. Nova	8	Caſtiglion Aretino	8	o. Florenza	8
				Simul	145.

Aliud Iter ROMA OTRICVLVM, NARNIVM, INTERAMNIAM, PERVSIAM, FLORENTIAM, CASTELLVMNOVVM, PRATVM, PISTORVM, vulgo Piſtria dicta. Vide Tabellam Thuſciæ.

Prima

Prima porta	7	Avignano	8	Borgetto	4
Caſtelnovo	8	Civitas Caſtellana	8	Ocriculi	5
				Simul	40.

OTRICVLVM vulgo Otriculi Sabinorum oppidum in monte poſitum. Huc vſque ex Roma nihil præterquam ruinę cernuntur, & reliquiæ vię flaminię. Apparent hic ædificiorum publicorum reliquiæ ingentes: templa videlicet, Thermæ, Aquæductus & aquarum caſtella ſubterranea, item porticus Theatrum, & Amphitheatrum, quæ mole ſua teſtantur, amplitudinem & magnificentiam ſummam eius municipij, cum florente adhuc imperio ſtaret & vigeret. Vide dictam Tabellam.

o. Narni 8

NARNIA vulgo Narni in aſpero difficilique monte, & magna ex parte abrupto poſita eſt, cuius imas radices abruptoſque ſtipulos Nar fluvius magno cum fragore Lauat, à quo Narniam appellatam putatur. Eius ſitum ita Martialis poëta depingit libro VII. Epigrammatum:

Narnia ſulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit, ancipiti vix adeunda iugo.

Oppidum nunc eſt oblongũm ædificijs ſatis elegans, rerum copia lautum, ob agri fertilitatem, licet aliquando bellorum calamitatibus involutum, clades ingentes patrum memoria acceperit. Supra Navem fluvium admirandi ac longe conſpicui pontis fornices ac minæ ingentes; qui duos prælaltos & abruptos montes ſubterlabente flumine ſolebat coniungere, vt æquali via tranſitus ab oppido Narnia pateret in montem aduerſum. Ex manubijs Sicambricis exſtructum, ſub Auguſto, quidam autumant: & Procopius Auguſtum eius auctorem memorat, haud inquam pontis Arcus celſiores à ſe viſos ſcribẽs. Quæ adhuc eius reliquiæ ſuperſunt, ex lapide quadrato prægrandi Pilis vaſtiſſimis, ſublimes arcus impoſiti demonſtrant florentis imperij maximũ, & inſani ſumptus opus hoc fuiſſe. Vide dictam Tabellam.

o. Terni 7

INTERAMNA vulgo Terni ſic appellata eſt, à veteribus quod inter ramos Naris fluminis, velut duos inter

ter

ter amnes poſita ſit. Olim ſtructuris & amplitudine maiorem vrbem fuiſſe, quam nunc eſt, veterum ædificiorum ruinæ, quę in vicinio circumquaque viſuntur, docent: & decreviſſe non parum inteſtinis odijs, atque civium diſcordijs maiorum memoria, re compertum eſt. Municipium vetus Romani populi fuiſſe, plures antiquæ marmorum inſcriptiones demonſtrant, ſed quando ius municipij vel civitatis Romanę Interamnatibus indultum fuerit, non prorſus liquet. Interamnatium ager vt antiquitus, ita & nunc, propter ſitum & aquarum dulcium abundantiam ſummè fæcundus eſt, nimirum in deſcenſu Apennini, meridiem & inferum mare verſus poſiti eius colles & campi, perpetuis fontium ac fluminum rivis irrigui, ad Solis radios apricando, procreandorum omnium fructuum oportunam facultatem habent. Nec mentiri Plinium re ipſa comperitur, fœniſecia quotannis tria vel quatuor admittere Interamnia prata, nec non poſtea in pabulo non minus emolumentum dare: rapæ hic vaſtæ magnitudinis XXX. & dimid. librarum amplius pondo, quarũ ſeptenæ iuſto pondere aſinum onerare poſſunt. Plinius XL. librarum ſe vidiſſe affirmat libro XVIII. naturalis hiſtoriæ.

Strettura	8	Schoratio	8	o. Perugia	8
Prette	7	S. Maria degli Angeli	9	Simul	40.

PERVSIA vulgo Peroſa vrbs Hetruriæ in Apennini parte, ab Acheis inæqualiter ædificata cornibus quinque procurrentibus, in modum ſcellæ, loco fertili & ameno ſita. Hæc in poteſtatem Auguſti venit, compulſo ad vltimam famem L. Antonio, Triumviri fratre, mœnibus inſuper ab eo reſtitutis, Auguſta eſt appellata. Septẽ deinde annis obſidionem crudeliſſimam Tolitæ paſſa, ad vltimum direpta eſt, interfecto eius Sereniſ. præſule Herculano natione Germano. Sequentibus deinde temporibus ſub Bonifacio octavo, cum ſe Imp. Galeatio dediſſet, per Vgolium Tirincium Tyrannum Fulginaten ab eodem Pontifice miſſum cum exercitu, ad officium redučta eſt. Poſtmodum ſæpius rebellavit, & multæ cædes in ea cõmiſſæ. Rebellis facta Paulo tertio Pontif. Rom. maximas temeritatis pænas luit, is Arcem in ea extruxit opere per cives communicato, & in calce lapidibuſque portandis nemo immunis extitit: Sacras & profanas ædes demolitus eſt, vt in vtrumque forum pateret proſpectus, legitur in atrio Arcis: Paulus tertius Pontif. Max. tyrannide eiecta, novo civitatis ſtatu conſtituto, bonorum quieti, & improborum freno, Arcem à Solo excitatum mira celeritate munivit, pontificatus ſui anno IX. ſalutis M. D. XLIII. in Tormento maiori quod vrbi minatur & 11452. libras ponderat: Paul. III. P. M. anno Dn. M. D. XLIII. A Peruſiæ Aſc. Card. Ari. legato. Ædificia ampla & excelſa habet Peruſia eſtque Turribus plena,

adeo

adeo vt ſinguli vici, plures habeant. Ex nulla Turri cognoſci proſpectu tota poteſt, quemadmodum Vrbinum. Fora bina ſunt: Rotundum & Rimenum: in rotundo fons præclarus & Palatium. Eccleſia item Cathedralis, in cuius Sacrario S. Lucæ Euangelium in cortice aureis literis ſcriptũ, & D. Herculani marmoreum monumentum, Statuæ æneæ quoque duæ Leonis X. ſcilicet & Iulij tertij Pontif. In altero ſcholæ docentium. Bina etiam habet collegia, veterem & novam Sapientiam appellata: in veteri Studioſi XL. per annos ſeptem numeratis LX. coronatis aluntur, fundatum à Petro Capocio cive Romano & Cardinale, vt teſtatur in Gregorio nono Platina. Novum extruxit Benedictus de Guidalocꝭis Recanatenſis Epiſcopus in D. Dominici æde ſepultus: idem ſuſtulit, iam Paulus tertius. Eſt & Bartholinum in quo VIII. Peruſini, II. Genuenſes, & II. Lucenſes aluntur, in O Maria nova, Germani altare & ſacellum habent proprium. Vrbs eſt infrequens, nam multæ familiæ deletæ, aliquot civium millia mulctati exilio. Adminiſtratur vero à Pontificis gubernatore, cui XII. priores vrbani, qualicunque libertatis ſpecie adiunguntur. Monaſterium D. Petri pulchrum eſt, in quo Aretina opera ex materia fictili multę artis videntur. Apud S. Dominicum inſignis Bibliotheca eſt, & turris templo adiuncta totius vrbis altiſſima. Apud S. Iulianum CC. moniales. Vide dictam Tabellam.

Torre	9	H. Baſtarda	1	Treghi	9
Lerſaia	9	Leuana	9	o. Fiorenza	8
Caſtiglione Aretino	8	Farhine	8		Simul 61.

FLORENTIA vulgo Fiorenza, vel ob florentem fortunam, vel florida incolarum ingenia ſic appellata, ac quod eſſet præfluenti Arno oppoſita, olim Fluentia dicta, civitas elegans, florens potens, ampla, & pene regia à Syllanis militibus XC. Annis ante Chriſtum natum condita, Romanorum vt contendunt nonnulli colonia, à Triumviris deducta, à Totila Gothorum rege, vt ipſius Annales loquuntur, diruta, à Carolo Magno reparata, & amplificata, ex ruinis Pheſularum. Florentia à Rudolpho primo Imp. libertatem emit pecunia, & Reipub. adminiſtrandæ XII. viros creauit, cum artium Prætore vt ipſi nominant, Iuſtitiæ vexillifero. Rurſus à Carolo quinto adiuvante Clemente ſeptimo Pontif. Rom. ſubacta & Alexandro Medices, cui filiam Margaretam elocavit conceſſa, cum Ducis titulo. Mediam perlabitur Arnus quatuor pontibus ſtratus, tamq; rapide fluit, vt aduerſo amne navigari haud poſſit. Hoſpitalia hic ſex maiora, minora alia XXXII. Eccleſiæ Parochiales XLIIII. Cœnobia tam virorum, quam mulierum LXXVI. Collegia ſeu Fraternitates puerorum IX, totidem virorum vel

etiam plura. Palatia hic infinita: Campi octo. Templum Cathedrale cognomẽto S. Mariæ Floridæ magnificentiſſimum, & inter tria Hetruriæ nominatum, foris incruſtatum marmore, albi, nigri, ruſique coloris. Portæ à fronte tres ſunt, ex quibus media ſculpta, & cæteris ornatior eſt, ſupra tamen rudis, tum aliæ duæ ab vtroque latere: quatuor lata Sacella habet alterum alteri præeminens, adeo vt in modum crucis facta videantur, in quibus miraculo ſimile, quod ſua diſpoſitione ſint ſtabilita: nullis enim Pilis aut contignationibus ſuſtentantur. Turri templi globus æneus deauratus, XVI. fortaſſe hominum capax impoſitus eſt. Turris quadrata Templo proxima, marmore tota incruſtata alta eſt cub. CCLXXX. adſcenſus in ſummum per gradus CCCCVI. in altitudinem educta. Sacellum S. Ioannis Baptiſtæ opus vrbis antiquiſſimum: olim Marti dicatum, non omnino rotundum, ſed potius ſexangulare, ex nigro, albo, viridique marmore: Pilas habet ſex, quibus ſingulis binę columnæ interpoſitæ viridis marmoris; vbi Altare ſummum eſt, aliud eminet veluti Sacellum, quatuor laterũ. Portæ tres æneæ deauratæ, præclari operis cũ ſacris hiſtorijs & imaginibus ſanctorum, Limina item ænea, tectum marmoreum, intus in orbem poſitæ columnæ XVI. totidemque Pilæ, feneſtrę XX. Septa chori ex nigro alboque marmore teſſellata. Apud portam, quæ eſt è regione maioris Eccleſiæ ſunt binæ columnæ porphyreticæ, quas Piſani, parta de Saracenis victoria, honoris cauſa miſerunt Florẽtinis. La Citadella vulgo dicta, Arx eſt munitiſſima in planicie ſita. Palagio della ſignoria vulgo dictum foris eam magnificentiam non habet quam interius, vbi ſtatuis & picturis artificioſiſſimis eſt ornatum, eius Turris fundamento quod videri poſſit non innititur, ſiquidem ſub ea ex omni parte conclavia cernuntur, & ob id in aëre pendere dicitur. Magnum Ducem tres habere Turres mirabiliter inſignes in prouerbio eſt, vnam in aëre de qua iam dictum: alteram ſub terra: tertiam in mari, in huius Palatij conclavi vulgo Garderoba dicto, eſt theſaurus Principis, ex varijs & innumerabilibus rebus præcioſiſſimis conſtans interq; alia ſuppellex menſaria ex puro puto Auro. in eodem eſt horologium, in quo Sol annuo ſpacio, & reliqui Planetæ, quiſque ſuum curſum iuſto tempore abſoluit: ibidem videntur Tabulæ Geographicæ omnium ferè provinciarũ, itemque multę virorum illuſtrium effigies. Ante Palatium locus eſt, La Donana vulgo dictus vbi merces deponuntur, item Fontana antiqua in cuius medio Gigas eſt. currui triumphali marmoreo inſidens, eiuſque quadriiuges marmorei aquas evomunt. Ante portum eſt regis Dauidis ſtatua marmorea. In Foro (vulgo La piazza dicitur) eſt inſignis ſtatua equeſtris ænea Coſmi Ducis, inſignis magnitudinis & artificij. Ex iam dicto Palatio, per contigua conclavia iri poteſt in ędificium, quod intra ſua ſepta concludit Aream, in hoc ædificio habent ſuas ſtationes omnium artificiorum magiſtratus, in inferiori contignatione, in ſuperiori vero habet Princeps imagines omnium nationum Principumque, & in his ſtatuam Scipionis Africani:

etiam Globum cæleſtem immenſæ molis & artis; hic quoque eſt Amphitheatrum inter media conclavia, ad imitationem veterum ſumptuoſiſſimè exſtructum, circumcirca ſunt multa conclavia, in quibus monſtrantur res quo ad formam tanti artificij, quo ad materiam tanti precij, vt nihil ſupra, & quo ad numerum extremæ infinitatis: in eorum vno, monſtratur clavus cuius medietatem ex ferro, aureum fecit arte Alchymiſtica Thurniſſerus: in alio eſt effigies Magni Ducis Ferdinandi, ſupra quem eſt Speculum, in quo cernitur effigies Magnæ Duciſſę. Haud longo hinc eſt Armamentarium Principis, ſuntque in tribus diſtinctis Cameris tanti artificij arma, vt vel ingenioſiſſimus hic videat, quod admiretur: in altera huius ædificij parte eſt Globus terreſtris, ſed adhuc imperfectus. Supra hoc ædificium hortus non contemnendus inque eius parte intrinſeca miraculi inſtar conſpicitur menſa Rudolphi ſecundi Imp. quam artifices magno conducti, iam plurimis atmis conficere cęperunt. Palatium, vulgo de gli Pitti dictum, trans Arnum eſt, eius fabrica numerari poteſt inter Italiæ magnificentiſſima, habet enim conclavia, ex marmore, aureis incruſtationibus & laquearibus atque picturis exornata, in huius Palatij contignationes omnes aſcenditur gradu Cochlidis ſtructuræ, quæ moles ex marmore, nulli innititur columnæ, & vel ſubter vel deſuper intuenti apparent extremitates & circuli omnes æquiſſimi, quaſi in puteum deſpiceres. Opus hoc eſt magni artificij & impenſæ permagnæ, habetque à tergo hortum amænum in colle, & iuxta caſtellum ſiue Arcem novam omnium munitiſſimam, Belvedere dicitur. Tertia Arx, extra vrbem, in colle ſita eſt, Caſtello Vecchio dicitur, in ea Templum eſt ſumptuoſiſſimum, cruſtis & Scalis marmoreis; Suggeſtum vario marmore artificioſiſſimè inteſſulatum eſt, feneſtræ marmoreæ. In Equilis Principis atrio, ſunt oues Indicæ, Apri cicures, Cameli, Leones, Vrſi, Tigrides, Lupi, Aquilæ, ſeruantur locis ad id deſtinatis. La Stinca dicitur carcer publicus, Lofficio de lhoneſta autem, locus, vbi duo cives ſenes, perpetui iudices, cauſas cognoſcunt publicorum Scortorum eorumque qui Lupanaria frequentant, Colonna della Iuſtitia vulgo dicta, notabilis eſt craſſitudinis marmorea, in eius faſtigio eſt ſimulachrum iuſtitiæ. La Caſſina palatium eſt novum, aſſervãtur expoluntur que in eo omnis generis lapides prætioſi. Ad mœnia vrbis loco remoto aluntur complures Leopardi, omnes cicures, qui in ſylvam vicinam emittuntur vt feras, lepores præſertim, pabuli ſui cauſa capiant, domumque revertuntur, ſed non ſine Duce. Hortus Cardinalis Alexandri Medices ſpacioſus eſt, latus & elegans, in eo Linum Iudicum complurium annorum ſpacio in eam excrevit altitudinem vt arborem proceram referat: iuxta eum Sacellum eſt magnificæ ſtructuræ itemque palatium, In templo S. Laurentij ſepultura eſt Coſmi Medices cum hac inſcriptione: Decreto publico pater patriæ: item Sepultura Petri Medices. Supra Sacellum eſt Bibliotheca excellens, ex manu ſcriptis libris conſtans, inſtituta à Clemente ſeptimo Pontif Rom. qui diris devovit il-

 lum,

lum, qui vel minimam ſchedulam exportare nititur, monſtrantur inter cæteros libros manuſcriptos Comediæ Terentij; quæ ipſiuſmet manu exaratæ affirmantur: Item Vergilij Opera ab ipſo Poeta ſcripta. Vide dictam Tabellam.

Caſtel novo 3

CASTELLVM NOVVM Viridarium eſt Magni Ducis Hetruriæ, cum Palatio, vbi æſtiva eſt ſtatio primogeniti eius filij amœniſſima, conſtans ex Hortis mira induſtria excultis: vbi videre licet fructus & plantas raras, tum omnis generis arbores, vt Cupreſſum, Laurum, Myrtum, Amigdalum, Citrum, &c. eſt denique Aquæductus inſigniter artificioſus, nam primo Fons ibi eſt, quaſi triplex altiſſimus, in cuius ſummitate, collocatum eſt Herculis ſimulachrum, dextera manu puerum comprimentis, vt aquam copioſe evomat. Circumcirca eſt area rotunda, aquarum aſpergine inſidioſa. Non procul ab hoc alius fons ſpectatur, cuius aqua ex capillis ſtatuæ fœminam veterem referentis defluit, dum ipſamet fœmina, capillos omnes manu vtraque quaſi lotos ſiccandoſq; comprimit. Ibidem eſt rupes cavernoſa, vulgo La grotta dicitur, in ea omne omnis ferarum generis effigies, vt Cervorum, Leonum, Tigridum, Elephantorum, Volucrum; item deſuper, & ab omni parte, aquas evomunt: certæ quoque venæ, ipſiuſque cavernæ meatus aquam profundunt tanta arte, vt imber naturalis exactiſſime repræſentetur, cælo ſereno, Sole radios in cavernam immittente, Iris artificioſa in ea conſpicitur, antequam ad cavernam pervenitur, aſcendendi ſunt aliquot gradus, qui perturati accommodatique ſunt ad madefaciendos ex inſidijs ſcandentes. Collis quoque artificialis arboribus ſeptis adſcenſus, lapillis minutis ſtratus, inſidioſas habet aſpergines, quas nec in ipſo faſtigio licet effugere volente Hortulano, è menſæ quoque lapideæ medio aqua proſiliens, miſſis in canalem certis ad eam rem factis inſtrumentis repræſentat (ſucceſſiue tamen) modo facem ardentem, modo rotundum, modo oblongum, inſigniſque magnitudinis vitrum, ſuam intrinſecus habens cavitatem. Vide dictam Tabellam.

o. Prato 8

PRATVM vulgo Prato vnum eſt ex quatuor Italiæ caſtellis celeberrimis; vt enim Barletum Apuliæ Fabrianum Piceni, Cremona Langebardiæ, ſic Pratum Hetruriæ præcipuum eſt caſtellum, tum ob magnitudinem, tū pulchritudinem ædificiorum & platearum, tum ob munitionem, quam acceptam refert Coſmo Mediceo, primo Hetruriæ Magno Duci. Vide dictam Tabellam.

o. Pi-

o. Piſtoia 10

PISTORIVM vulgo Piſtoria oppidum ſitum obtinet ad radices Apennini, in valle amœniſſima: mœnibus ipſam cinxit auxitque plurimum Deſiderius Langebardorum Rex. Cum Florentinorum opes augeri cæpiſſent, ab ijs varia ratione ſubacta eſt, & nudata mœnibus, complanatę foſſę, ager inter ipſos, & Lucenſes, qui belli ſocij fuerant diviſus, poſteaque diſcordijs enatis tota ditionis Florentinorum factum. In templi Cathedralis Sacello, iuxta portam Ara eſt ex argento conflata, in eodem templo marmoreum Cyni: I. C. monumentum, cum tali Epigraphe; Cyno eximio iuris interpreti, Bartolique præceptori digniſſimo, populus Piſtorienſis concivi ſuo P. M. fecit, Obijt anno 1331. Cæterum ipſe Cynus non eo in loco, ſed Bononię, vbi Iuris interpretem egit ſepultus eſt, in templo ſancti Dominici. Arx hic eſt bene munita, quæ exteris non patet.

ITER ROMA SCARPARIAM, FIDENTIAM, ET BONONIAM.

Florentiam vſque in itinere per Senas numeran. mill. 146.	Vide Tabellam Thuſceæ.		Piraſella	6
	Fontaglia	6	Scarparia	2
			Simul,	160.

SCARPARIA oppidum eſt in valle Mugellana, inter montes Feſulanos & Apenninum ſitum, à Florentinis deſtructo Artiano caſtello, quod Vbaldinæ gentis fuit, ſub Clemente quinto conditum, ibi conficiuntur omnis generis cultelli forcipes, &c. ſatis elegantes, à fabris incolis, qui viatoribus certatim merces ſuas in hoſpitijs venales obtrudunt. Vide dictam Tabulam.

Pogio Firenzola 8

FIORENZOLA oppidum eſt lautum & elegans, in radicibus Apennini ad amnem quendam ſitum, à Florentinis; quibus paret conditum. Sunt qui volunt olim Fidentiam dictum. Ad D. Paſſus hinc ad dexteram duobus locis conſpicitur terra ardere: Foramina, per quæ flamma exit, non adeo magna apparent, quaſi duos pedes longa, ſed vt perhibetur flamma ſatis magna concipitur, quando pluit, eoque maior, quo vehementiore impetu aqua pluvia cadit. Vide Tabellam Romandiolæ.

Petramala	4	Loiano	8	Bologna	7
Scarcala ſino		Pianova	7		Simul 26.

ITER ROMA VRBINVM, ARIMINVM, CESENAM, FORVMLIVII, IMOLAM, BONONIAM, MVTINAM, REGIVM, PARMAM, BVXETVM, CREMONAM, PICELONEM, LAVDAM, CASSANVM, LEVCVM, BELLANVM.

Inter Amiam vſque in præcedenti itinere num. mill. 55. Vide Tabellam Marchiæ Anconitanæ.		S. Horatio	8	Candiano	7
		Ponte centeſimo	8	o. Caglie	4
		Nocera	7	Aqualagno	4
		Gualdo	7	Firmano	4
Hoſp. Strettura	8	Sigillo	7	o. Vrbino	4
Caſt. Piette	7	Scegio	7		Simul 137.

VRBINVM vulgo Vrbino vrbs Piceni in edito & inæquali loco ſita, amœna & ſalubris, ſplẽdidè ſatis ædificata bono ac fœcundo agro, generoſiſque fructibus abundante. Arcem habuit extra vrbem muniriſſimam, quam Guidobaldus Dux, ne ipſius potentia invidiæ eſſet & populo & finitimis demoliri fecit. Novam, vetere diruta, intra muros à fundamentis exſtruxit Fridericus Dux, magis ad ornatum loci, & magnificentiam habitãdi, quam ad defenſionem. Ea ædibus Epiſcopi & templo D. Dominici eſt contigua, ita ædificata vt poſſit equo in turres & ad tectum ipſum iri. Conclavia habet 365 ampla & magnifica. Ornat eam præcipuè Bibliotheca libris optimis & multis referta, quorum alij panno aureo, alij ſeryco villoſo obducti ſunt, olim omnes argẽto aut auro, ſed ab Alexandri VI, Pontif. Rom. filio Cæſare Borgia, Duce Valentino omnibus ornamentis ſpoliata atque etiam translata fuit, quam Iulius ſecundus poſtea reſtituit, Multæ in ea Græcorum autorum translationes, quæ impreſſæ hactenus non ſunt. Ducis ipſius bina ſunt Muſea, inferius ornatum picturis Muſarum, alterum vero ſuperius virorum illuſtrium & clarorum, qui ſibi virtute & doctrina famam compararunt. Vtrumque vnicam tantum Feneſtellam habet, in loco ſuperiore adiũctum iiſdem eſt Sacellum. Quatuor habuit Fridericus Dux res inſignes

inſignes, Bibliothecam, Aulea, Aurea Argenteaque vaſa, generoſos equos: in templis vrbis nihil conſpicuum, præter Sacellum quoddam in D. Franciſio recens ex ædificatum. Vide dictam Tabellam.

Hoſp. Foglia	8	Coriano	8	Simul 26.
M. Fiore	8	o. Rimini	2	

Ariminium vulgo Rimini vrbs in planicie ſita fœcundiſſima, ab ortu & occaſu frumentarios habet campos, à meridie hortorum, oliuetorum vinearumque plenos Apennini colles; à Septentrione Adriaticum mare, quare rerum omnium ad vſum hominum abundat. Ædificijs novis eſt pulchra & commoda: inter quæ Palatia ſunt quędam ſumptuoſa, maiori ex partę à Malateſtis olim vrbis Principibus condita: in Foro fons eſt, marmoreo cratere ac parergis omnibus ornatiſſimus atque ſiphunculis pluribus dulces ac limpidas evomens aquas. Hic quoque caſtrum, Curia, theatrique lateritij reliquiæ ingentes: verſus mare pons quoque marmoreus, ex quadratis ſaxis grandibus in Arminio fluvio conſtructus ab Auguſto, qui Flaminiam viam vrbemque ſuburbio iungit; in longum ducentos pedes; arcubus quinis innititur, in latum pedes 15. habet: ab vtroque latere ſpondis marmoreis opere Dorico pulcherrimè laboratis munitus eſt, in quarum vna magnis literis inſculpti leguntur tituli Imp. Cæſ. Auguſti: in altera è regione Tiberij Cæſaris, ex quibus colligitur anno poſt vrbem conditã DCC. LXXXVIII. C. Caluiſio C. Lentulo coſſ. opus hoc abſolutum fuiſſe, quod Auguſti auctoritate flaminiam ſumptuoſiſſime munientis inchoatum ante fuerat. Antiqui portus veſtigia, qui modicis quidem navibus aptus, & arenis oppletus: ſed quam ſplendidus & amplus olim fuerit, cognoſcitur per ſtructuram magnificentiſſimi templi S. Franciſci, quod ex marmoribus antiqui portus Arminienſis Sigiſmundus Malateſta, eius vrbis Princeps quondam exſtruxit. Vide dictam Tabellam Marchiæ Ançonitanæ.

Sanignano	12	o. Ceſena	12	Simul 24.

Cesena Flaminiæ antiqua civitas, in pede Apennini & viæ Æmiliæ, ædificijs perhoneſtis, incolis nobilibus, ingenioque & induſtria, atque etiam opibus pollentibus, populoque adeo frequens, vt tempore Leonis X. à Romanulæ præſide Bernardino Rubrio ampliari cæpta, ſed deſertum opus ipſo ad Bononien. præfecturam auocato. Arcem ex colle auſtrum verſus habet munitiſſimam, à Friderico II. Imp. conditam: ea cum ipſa vrbe iungitur mole intercedente, quæ maiori ex parte ruinis perijt, vbi etiam nunc ædicula illa, in qua fruſtum Lardi nonnihil præciſum catena ferrea dependet, miraculi inſtar. Abundat Ceſena rerum omnium copia, & vinum

quod

quod profert generoſum & laudatiſſimũ eſt. A Britonibus olim magna clade affecta, à Bononienſibus, Ordelaphis, Malateſtis poſſeſſa, tandem Romanis Pontificibus ſubdita, in eorum fide & tutela permanens, tranquillitatemque conſecuta, incrementa ſumpſit maxima, Hoſpitale eius ſumptuoſiſſimum. In æde D. Franciſci Malateſtæ eximij artificij Bibliotheca eſt, præcioſis ac rariſſimis libris manu ſcriptis referta. In eius veſtibulo ſymbolũ Malateſtarum legitur hoc: Elephas Indus non curat Culicem. Vide dictam Tabellam.

o. Furli 10

FORVM LIVII vulgo Forli ampla eſt civitas, & magnitudine Bononiæ haud impar. Sita eſt inter duos amnes Roncum, & Montonum, qui ab occaſu muros alluit. Cælum hic perbonũ iucundumque: ager copioſus & frumenti vinique vbertate tam fœcundus, vt non modo ſibi abunde ſufficiat, ſed etiam exportet, præterque cætera zeam, hordeum, oleum, rubiam, glaſtum, aniſum, fœnum græcum, cuminum & coriandum fert. Homines alit ingenijs præſtantiſſimis, ad literas & ad militiam mercaturamque cumprimis idoneos. Prętorium hic illud ſumptuoſum Ægidius Cardinalis legatus, loci oportunitate captus in foro ædificauit, cuius etiamnũ pars ſupereſt. Vrbs equidem hæc eſt mirè iucunda tranquillis inter ſe civibus, qui ingeniorum amatores obſervatoreſque ſummi ſunt. In Prætorio pictura eſt hominum manibus iunctis fœdus ineuntium, aut illatam iniuriam remittentium: Picturæ adiuncta inſcriptio: Sextus Tit. Livius Salinator Coſſ. S. R. iuſſu Claud. Neroni collegæ reconciliatus iureiurando pollicetur, ſe Rempub. contra Annibalem ac Aſdrubalem fratres egregiè defenſurum. Poſtmodum videtur pictura conceſſionis regalium factæ Forlivienſibus, per Fridericum Imp. Rom. item alia in memoriam Berengarij civis appicta. Fuit aliquando Forum LVII. in nobilium Ordelaphorum poteſtate, quibus extinctis in Pontif. Rom. imperium pervenit, eodemque adhuc ſtatu manet. Templum Cathedrale, S. Crucis, item S. Domini, S. Franciſci & Mariæ del Carmine ornatiſſima ſunt. Vide dictam Tabellam. Vide Tabellam Romandiolæ.

o. Faenza 12

FAVENTIA vulgo Faenza Æmiliæ civitas pervetuſta eſt, eam flumen Anemo ſecat, vrbem à ſuburbijs dividens, ponteque lapideo coniunctus perpulchro ac munito, cum duabus Turribus, quo & civitas ſuburbijs & Æmilia ſibi via cohæret. A quo primum ſit condita non invenitur: antiquiſſimam tamen eſſe literarum monumenta comprobant, etenim & Livius eius mentionem fecit, quum à Sylla Carbonem Italia pulſum, cæſo illius

exerci-

exercitu ad Cluſium, Faventiam Fidentiamque ſcripſit. Agrum habet opimum, & frumenti omnis generis, ac vini fertilem. Linis quoque abundat, quæ à Plinio laudantur ob eximium candorem. Veneti Fauentiam anno à C. N. 1509. poſſederunt, quo, cæſis illorum Legionibus à Ludovico XII. Galliarum rege, in Glarea Abduæ, in Pontificum Rom. ditionem, tunc Iulio ſecundo ſedem tenente venit. Ea deinceps civitatis forma tranquille ſtetit: quippe quia civium mira conſenſio, turbulentis etiam temporibus omnium animis ad pacem & quietē ſpectantibus, factiones tollere caput haud eſt paſſa. Vrbs eſt perhoneſta ſplendideque ædificata: magnifica inter opera, ſummum Templum & Prætorium in foro: populus frequens admodum ſtudioſus reipub. maximus hic figulorum excellentium numerus, qui tanta nunc arte in vaſis formandis coloribuſq; varijs depingendis pollent, vt Fauentina totius Italiæ primatum obtineat, ante hortum Equitis Maltes legitur: Satis diues qui non indiget pane, *Satis potens qui non cogitat servire.* Ciuiles curæ procul hinc abite. Sabbas Caſt. Solitarius ſeipſo cōtentus, hos ſecutos incolit hortulos, pauper an diues, ſi cordatus es cogita. Vide Tabellam Romandiolæ.

o. Imola 10

IMOLA veteribus Forum Cornelij dicta condita à Romanis, & ab eo qui huc ad ius reddendum habēdumque forum à Senatu miſſus erat ſic appellata. Subverſa ab Antiocho Narſetis Præfecto, & à Clephe Langebardorum rege Alboini ſucceſſore inſtaurata, ab arcis nomine quam eminentiori & vnico in tumulo habet Imola dicta. Adiacet Sacerno amni, loco perbono & fœcundo: colles enim habet amœnos & latifundia campeſtria periucunda. Incolæ gnavi & ingenio peracti. Foſſi, aqua, muris ſatis munita civitas Rom. Pontif. paret, non abſimilis eſt Witeberga. Saxatellorum & Vainorum factionibus noſtro ſeculo miſere afflicta & fœdiſſimè lacerata, quę alias vniuerſæ Italiæ ſummo ornamento eſſe potuiſſet. Vide dictam Tabellam.

S. Nicolo 10 o. Bologna 10 Simul 20.

BONONIA vulgo Bologna ampliſſima eſt vrbs ædificijs publicis atque privatis ſumptuoſa & permagnifica, nam antiquitus in hanc vrbem Colonia Latina à Rom. deducta fuit anno poſt Romam conditam D.LXIV. crevit admodum ſtructuris poſterioribus ſeculis, quamvis hoſtium Barbarorum incurſibus atque bellica vi ſæpius deſtructa fuerit, magna in ea Fora & inſignes ædes ſacræ. In D. Petri templo Cardinales Antiſtites multique eruditione celebres viri habent ſua monumenta. Oſtenduntur hic vetuſta Langebardorum ac vaſta ædificia, turres quadratæ & ſpiſſæ in ſummam altitudinem Obeliſcorum quaſi forma evectæ, inter quas celſiſſima quæ A-

ſmellorum vulgo vocatur, & vicina Gariſenda inclinata nonnihil, arte ne an caſu dubium eſt. Ædes ſacræ D. Stephani plurimis ſanctorum reliquijs clara, D. Franciſci artificio conſtructa nobili: Magnificum ac ſumptuoſum D. Petronij ex vario marmore Fanum iuxta Forum ac Palatium animo maiore inchoatum eſſe videtur, quam vt ævo noſtro abſolui pro temporum anguſtia poſſit. Vicina eſt huic Academię ſchola publica ædificium peramplum ante paucos annos magnis impēſis exſtructum ex ſaxo quadrato, quod architectonica ſymmetria pulcherrimum eſt. Scalæ, quibus ab ingreſſu primo ſcandunt ad interiora periſtylii, (quę ambitu quadrato, profeſſionum vel artium diverſarum auditoria circumveſtiunt) ſpacioſa & commodæ, mira quadam elegantia detinent & afficiunt advenas: nec minus periſtylia, cum auditorijs concinne pavimentata, portæ marmorum diverſorum pulchritudine conſpicuæ, vt & cætera omnia, quæ palatia quævis ſtructuræ magnificentia & laxitate ſuperâre poſſunt. Extra vrbem, Apennini colles fructiferi, hortis, vineis, oliuetis, atque pomarijs circumquaque veſtiti ſunt. In monte viſitur Sancti Michaelis in ſylva nuncupatum monaſterium locupletiſſimum eſt, novis & vetuſtis ædificijs ſumptuoſiſſimum: cuius templum atque ſacraria cuncta. marmorum nobilium omnis generis columnis, trabibus atque cælatura præclara nitent. Altaria reliquijs Divum raris atque donarijs præcioſis auguſta, reſplendent ſtatuis, ſignis, tabuliſque pictis artificio ad miraculum excellentibus. Sedilia & ſubſellia ſacrificum in lateribus templi diſpoſita, ex ſecamentis & ſcandulis variorum lignorum ſtudioſè, commiſſa, picturam quandam elegantiſſimam repræſentant: vti caſtella, turres, arbores, animalia, campi, mōtes ac regionum plagæ; necnon herbarum & florum minutiæ, ſuis coloribus, vix penicillo poſſent à perito pictore diligentius exprimi. Hic Bibliotheca librorum & tabularum omnis generis plena: noſomychus, quod infirmarium; & cænaculum commune, quod refectorium nunc appellant; item conclavia & cætera omnia ad vnguem facta: vt prætercam Hypetras, hortos & pomaria excultiſſima: necnon fontes & piſcinas Apennini rivulis lympidiſſimis exundantes, & piſcium ſaxatilium copia ſcatentes. Sed inprimis iuvat ex eo monaſterio veluti è ſpecula contemplari non ſolum vrbis ſitum, fora, templa, vias, turres, ac ædificia cætera magna, verum etiam Galliæ Ciſalpinæ ſubiacentem amœniſſimam planiciem, ſummè laudatam à Polybio. Oſtendit ſe à ſiniſtris Apenninus occidentem ac Sardoum mare verſus excurrens. Hinc Alpium iuga nivoſa, nubium ſpecie à cælo dependentia; proſpectantur à fronte in Septentrionem ac orientem: à dexteris autem ad meridiem, nebulis obductum Adriaticum pelagus à longe videtur Alpes & Apenninum attingere, vbi Italiæ latitudinem à tergo hic oblique trāſcurrit Senogalliam & Anconam vſque. Hiſce tribus limitibus decem millium ſtadiorum concluſi Galliæ Ciſalpinæ campi, regis fluviorū Eridani amniumque plurium ramis, atque meandris interſecti & irrigati mirificum ex alto præbent ſpectaculum,

lum,

lum, præſertim cum cernuntur Ferraria, Mantua, Incola, Mirandula, aliæque circumiacentes vrbes celebres multæ, quibus ſubiecti campi, tanquam roſis aut floribus pulchris ſparſim diſtinguuntur & ornantur. Vix ſaturari aſpectus poteſt atque divelli ex eo loco ſpectator. Abundat Bononiæ territorium vino, tritico, frumento, bombycibus & ſerico, quorum negociatio potiſſima ibi eſt. Nobilitate valet plurima potentæ, ſplendida, quæ à mercatura prorſus abſtinet, eſtque vrbs populoſiſſima & optimè ædificata, ſed mœnibus valliſque parum munita. Vicelegatus ad corporis ſui cuſtodiam alit Helvetios 120. & equites Lancearios 50. Vide dictam Tabellam Ramandiolæ.

Caſtelfranco	14	o. Modena	8	Simul 22.

MUTINA vulgo Modena civitas eſt vetuſta, celebritate pernobilis, Romanorum quippe Colonia creſcente Imperio deducta, ſimul cum Parma Anno V. C. D. LXX. Nec dubium quin ſuccedentibus ſæculis, Romano ſtante Imperio, floruerit admodum: cum frequens eius apud Hiſtoriæ ſcriptores fiat mentio, doceantq; hoc inſuper antiquę marmorum inſcriptiones, quæ plurimę ibidem & pulcherrimè adhuc extant. Sed imprimis eam nobilitauit prælium civile cruentum, quo ante eius muros cum duobus coſs Hirtio & Panſa ſenatus authoritas, & populi libertas funditus concidit: cum M. Antonius extincta C, Cæſaris tyrãnide, diſcordiarum faces, D. Brutum obſidendo, reſuſcitaret. Clades deinde plures eaſque exitiales, labaſcente Imperij potentia, Barbararum nationum inundatione, Mutinam eſſe paſſam conſtat. Opinari igitur eam à Gothis & Langobardis ſępe exciſam fuiſſe, haud eſt abſurdum: cum diu Langebardorum temporibus deſerta iacuerit, quibus Caroli Magni victoria eiectis, atque Pipino eius filio Italorum rege conſtituto, tum primum hanc vrbem volunt (quæ nunc Æmiliam occupat, & nonnihil à veteris Mutinæ in altiore loco poſitę ruinis diſtat) à fundamentis ſuſcitatam fuiſſe à nobilium civium reliquijs. Qui ſublato Barbarico metu, novi oppidi mœnia ac portas, ſuis amicorum atque clientum ſumptibus ac labore conſtruxere. Vide dictam Tabellam.

Mar Iaia	7	Rubiera	1	o. Regio	7
					Simul 15.

REGIUM LEPIDI vulgo Regio, vrbs eſt populo frequens, omnibuſque rebus affluens: agro vbere fœcundiſſimoque cincta. Antiquitate certat cum alijs vicinis vrbibus Æmiliæ viæ item impoſita Romanorum eſt colonia, cuius celebrem M. Tullius, Strabo & Corn. Tacitus alijque veteres mentionem fecere. Sed quando pri-

mum, vel quorum auſpicijs deducta ſit, non plane liquet. Quia tamen Regium Lepidi ab initio ſemper nuncuparint, plures opinantur à M. Lepido, qui Æmiliam viam anno ab V. C. DLXVII. ſtraverat vel conditam, vel deductam paulo poſt fuiſſe. Vide Tabellam Romandiolæ.

La maſone S. Orero 9 o. Parma 6 Simul 15.

Parma ędificijs ſplendida cum primis eſt, opibuſque florens Principum enim ac illuſtrium familiarum palatia ac manſiones habet multas, ac civium ditium multitudine plena eſt. Ager nimirum eſt circumquaque fœcundiſſimus ac amœniſſimus, omnium frugum ac fructuum abūndans: optimique vini, olei, lactis, & caſei copia, terrarum vbique celebris, itaque Parma, non ſolum cum vicina Placentia, verumetiam cum cæteris Ciſalpinę Galliæ præclaris vrbibus certare ſuis opibus poteſt: nec inter eas præteriri in quibus Dia fortuna rerum omnium copiæ cornu ſuum benigniter effundere videtur. Poſita quidem eſt in Æmilæ viæ plano, quinis ab Apennino paſſuum millibus flumineque irrigatur eiuſdem nominis quod ſuburbia ad occaſum vergentia ſeparat ab ipſa civitate. An vero fluminij vrbs nomen dederit, an ab eodem acceperit, obſcurum eſt. A ſcuto vel parma nomen habere videtur: quæ colonos ac cives ſemper habuit nobiles, Martios ac animoſos, ingenioque ad literarum ſtudia & ad reipub. gubernationem non ſolum, ſed etiam ad rem militarem aptiſſimo. Vltra flumen eſt ſuburbanū Ducis caſtellum portis muris propugnaculis atque foſſis profundis ſumptuoſe munitum. Hic plurima viſu digna ſunt, imprimis prætorium æſtivum, magnificentiſſime ex quadrato ad regulam aptiſſimè iuncto lapide cum portis, periſtilijs & columnis marmoreis in formam regiæ exſtructum, reſplendent omnia intus picturis artificioſiſſimis, & operæ tectorio inaurato, ſtatuiſq; antiquis ſummi precij. Nec minus in adiuncto Nympheo, quod hortos reſpicit ſacellis & ædiculis marmoreis exornato. Eius pavimentum varietate marmorum verſicolorum miræ eſt pulchritudinis, opere muſciario teſſellatum. Scalæ lapideę duplices, quibus in hortos deſcenditur, ab vtroque latere fontium venis gradatim ſcaturiunt. Rupes in medio Nympheo peralta, è pumicibus aſperis, tophoque exoſo atque ſaxis ex aquarum profluxu concretis, conſtructa, corallis ac vnionum conchis exornata, ſpumantes fontium latices è ſpecubus vndequaque profundit. Inſuper mirifice delectant atque intuentium oculos remorantur Tritones, qui è buccinis ſuis aquas evomunt, Cupidines in cygnis & delphinis vecti, multiformes hic conchæ & cochleæ marinæ, quædam criſpæ & rugatæ, quædam denticulatæ aut pertinatim vndatæ: cancellatim reticulatæ, aliæ leues, aliæ, & colorum punctis virgulis ac guttis diſtinctæ. Totū diem detinere ſpecta-

ſpectatorem hæc poſſunt, ſicut & horti ſpacioſi & exculti, pomaria, Labyrinthi, ſylvæ & Laureta. Vide Tabellam Ducatus Parmenſis & Placentini.

S. Segendo	7	o. Buſſeto	15	Simul 22.

BVXETVM vulgo Buſſeto nobile eſt oppidum Palavicinorum, id Anno à C.N. M.D.XX. Galli diripuerũt, Chriſtophoro Palavicini Marchione ac Domino perbonæ exiſtimationis viro capto, cui Mediolani Galli caput abſtulere. Vide dictam Tabellam.

Cortile	4	Ragatiola	3	o. Cremona	2
					Simul 9.

CREMONA ſplendidis ac magnificis ædificijs tam rei diuinæ) quam hominum habitationi dicatis nitet, ex quibus Ædes Cathedralis eſt, item D. Dominici, cui cœnobium ſumptuoſiſſimum, inſuper Arx permunita, cum primis Italiæ propugnaculis cenſenda, multæque ſplendiſſimę privatorum domus. Templi Cathedralis turris eſt altiſſima vnde vulgo iactatur vna Turris in Cremona. Quo tempore Imp. Carolus V. Bononiam profectus eſt, ad Clementem VII. tranſgreſſus eſt hanc vrbem. Cremonẽſes autem, tum ſubiectionis, tum memoriæ ergo, portam qua ingreſſus fuit, itemque illam qua egreſſus occluſerunt, obducto muro, & ita hodie occluſę permanent. Vide dictam Tabellam.

Arx Picighiton	15

PICELLO vulgo Picighiton Caſtellum eſt natura & ſitu loci, tum propugnaculis foſſis & mœnibus, vallis item munitiſſimum Domicilia intrinſecus, & plateas habet nonnullas, & præſidium Hiſpanicum. Hic Franciſcus Gallorum rex, eius nominis primus ad Papiam captus, cuſtoditus aliquamdiu fuit, indeque in Hiſpaniam deportatus. Ipſum caſtellum ſiue oppidulum ab Arce ſeparatum eſt flumine Abdia vulgo Adda dicto. Vide dictam Tabellam.

Iſella	8	o. Lodi	9	Simul 17.

LAVDA vulgo Lodi, in Abduæ ripa, parva quidem ſed culta eſt. Agrum admodum amœnum habet & fer-

tilem, copia tritici ſiliginis, milij, cæterique frumenti, item vini aliorumque fructuum. Campis latiſſimis & pratis ad rem pecuariam ſummè oportunis fœlix eſt, ideoque caſei tantam copiam ſuppeditat, quantam Italiæ pars nulla. Semper hic recentes herbæ propter aquarum abundantiam, quibus vniverſus ſitus eſt irriguus: vndique rivi diſcurrunt, alveis omnia plena, nec raro ternos quaternoſve canales, alios alijs ſuperinductos, vti locorum vel editior, vel depreſſior eſt conditio, videas, mirabili plane arte ſummoque cum fructu, quamobrem evenit vt tertium quartumque fœnum his pratis ſecetur nonnunquam etiam quintum. Hinc tanta lactis vbertas caſeo faciendo conſequitur vt tam amplis & ingentibus eum molibus figurent, quantis haud credere queas ni videris, ſinguli enim caſei pondo D. complent. Summa profecto admiratione dignum eſt, eam lactis coagulati molem, in vaſis ad figurandum neceſſarijs opportunè commodeque tractari poſſe. Populum alit Lauda nõ minus in armis quam mercatura parandiſque divitijs ſolertem.

Spin	8	o. Caſſan	7	Simul 15.

CASSANVM vulgo Caſſan olim frequens oppidum & Arce munitiſſima tutum, ſed iniuria bellorum Caroli V. Imp. & Franciſci primi Franciæ regis, Franciſcique Sfortiæ ſecundi ac Venetorum, vt finitima cętera peſſimè affectum eſt, ſed poſt initam pacem ſatis ſe refecit. Victum hic Actiolinum Romani num nobilem tyrannum, anno ſuæ ætatis octuageſimo, vulneratumque & captum, nec diu poſt ad Soncinum, quo deductus, calamitoſum vt promeruerat exceſſum habuiſſe memoratur.

Trezo	10	Bripio	5
Brems	8	o. Lecco	10

LEVCVM vulgo Lecco caſtrum eſt nobile ac frequens in Mediolanenſium principum ditione, nam cum Anno 1532, ab Antonio Leva Neapolis prorege, qui tum Caroli V. Imp. legatus erat, Ioanni Medici Mediolanẽſi pręmio laborum fuiſſet donatum, is Franciſco Sfortiæ II. Mediolani Duci ius ſuum reſtituit, qui nequicquã antea diu validis copijs oppidum obſederat. Cõditiones autem huiuſmodi interceſſere, vt præter alia quędam, Melignani Marchio crearetur ab Sfortia Medices.

Teolum	6	Varena	6	o. Bellanum	5

BELLANVM nobile eſt oppidum ſplendidis ædificijs ornatum maximeque templo ab Azone & Ioanne Vi-

ne Vicecomitibus olim Mediolani regulis condito. Pontem etiam in Lacu habet inſignem ex lapide quadrato.

Iter Roma Cremam et Bergomvm.

Cremonam vſq; numerantur in pręcedenti itinere per Vrbinum & Boniam mill. 322.		Vide Tabellam Inſubriæ.		o. Crema	6
		Farlengo	12		
		Caſtellon	8		Simul 348.

Crema oppidum eſt nobile in iucunda & pulchra planicie ſitum, ſpacijs amplum mœnibus firmiſſimis, & inter quatuor Italiæ munitiora numeratum, & à Venetorum milite præſidiario, qui eo per fœdera ſunt potiti quæ cum Franciſco Sfortia Mediolanenſi bello inita ſunt, cuſtoditum. Eo eſt extructum loco quo fuit Fanũ Dinguntinorum, atque à Friderico Barbaroſſa poſt afflictam Cremonam in eius damnum & opprobrium amplè inſtauratum, vt frequenti & lauto ſit populo ædificiorumque ſplendore, rebuſque omnibus ad vitam mortalium vtilibus fulgeat & affluat. Agrum habet optimum, excultum, fertilem, aquarum rivos clariſſimos, & optimorum piſcium captura fœcundos, præcipuè muſtelarum & marſonorum: in foro depictus Leo Euangeliſta cum inſcriptione tali Leonem Bergomo Mediolanum Galli rapuere, fidelis Crema redemit, Vide Tabellam Inſubriæ.

Serignano	6	Bregno	4	o. Bergamo	6
Caravazo	5	Azano	8		Simul 29.

Bergomvm vulgo Bergamo antiquiſſima vrbs Annis D. CCC. ante natum Chriſtũ à Cidno, Liguris Hetruſcorum regis filio ex interitu Baocæ Orobiorum oppidi condita, olim veterum Gallorum, à quibus inſtaurata eſt, regalis & Romani Imperij cliens fidelis, aliquando etiam ſui iuris & varijs iniurijs iactata, & multorũ dominatum perpeſſa, donec ad Venetos devenit, ſub quibus diuturnæ pacis otio fruitur & fœliciter quieſcit. Poſita eſt in montibus loco amœniſſimo, cuius ambitus cum quatuor ſuburbijs adiacentibus, non minor eſt opinione hominum ambitu civitatis Mediolanenſis: nitet vbique ſplendidis ædificijs tam rei divinæ quam habitationi dicatis, iuxta Forum in æde D. Mariæ eſt magnificum ex marmore ſepulcrum Bartholomæi Coleonei ſtrenui olim

olim militiæ cum Venetorum, tum aliorum principum Ducis, ornatum ſtatua equeſtri inaurata, & circumcirca depictis, Papa, Imperatore, Rege Galliæ & Duce Veneto, quibus is fideliter inſervivit. Templum ipſum magnificentiſſimum, ob chorum, qui artificio ligneo hiſtoriarum veteris & novi Teſtamenti ac ſplendido Baptiſterio, Piſano tamen impari, forniceque admirabili, ad modum templi Laurentiani Mediolanenſis facto, magno eſt in precio. In cœnobio Prædicatorum presbyterium eſt nobile ſegmentato opere factum, ex ligno tam excellenti & mirabili arte, vt depictum potius, quam è ligno iunctum conſertumq; videatur, autor Damianus eius ordinis monachus, qui in componendis ex ligno ſegmentis, tanti ingenij fuit, quanti poſt hominum memoriam nemo ſcitur. In eodem monaſterio eſt Bibliotheca ſplendida ab Alexandro Martinengo Malpaga fundata cum cæteris clariſſimis Italiæ conferenda. Palatium communitatis inſigne, & pulcrè depictum eſt, varijs inſignijs Bergomatium civium, vel doctrina liberalium artium vt Ambroſius Calepinus, vel iuris civilis, vt Albericus de Roſatæ, vel laude rei militaris, vt Bartholomeus Coleonius: cuius inſigni adſcriptum, Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt illuſtrium: Incolæ etiamſi ruſticano admodum ſermone vtuntur, pollent tamen ingenio, & cunctarum artium apud ſeipſos peritiſſimis hominibus abundant. Agrum colunt fertilem, præterquam ad Septentrionem, qua parte totus aſper, montoſus, rigidus & ſterilis eſt. Ferrum tamen habet, & Cotarias, & lapidem Cadmium ex quo æs fit. Vellera quoque ſuppeditat, ex quibus confecta textilia per totam Italiam exportantur, atque vbivis, etiam in Germania cũ inſigni Cogliono, quibus proſtant, ijs pro auleis vtuntur. Supra Bergomum Capella, munitiſſimo quondam ſitu, propter montis cacumen, nunc autem ſemiruta & deſerta, in quo fundamenta Domiciani monaſterij primum iacta. ſacellumque conditum vnde Capella nomen remanſit.

ITER ROMA CONCORDIAM, MANTVAM, BRIXIAM, CHVRIAM.

Bononiam vſque numerantur in itinere breviori per Florentiam mill.	194.	Vide Tabellã Romandiolæ.		Bonporto	9
		Lavino	9	S. Martino	8
		La Crocetta	0.	Concordia	9
				Simul	229.

CONCOR-

CONCORDIA caſtellum eſt in dextera Secię ripa. Diu imperium eius Pici Mirandulani principes habuere, multorumq; malorum in illa gente cauſa fuit: nam cum à Galeotto Ludovici filio teneretur, eum Ioannes Franciſcus infeſtavit poſſeſſionem ſibi iure vendicans vti Imp. Auguſti auctoritate ſubnixo. Tandem cæſo Ioanne Franciſco, cum Galeottus Mirandula potiretur ab eo exciſum eſt Anno poſt C. N. 1534.

Al Po	9	S. Benedetto	7	o. Mantua	12
				Simul	28.

ITER BONONIA MIRANDVLAM, ROVERVM, MANTVAM.

Bonporto in præcedenti itinere numerantur mill. 212.	S. Felice	8	Simul	227.
	o. Mirandola	7		

MIRANDVLA vulgo Mirandola oppidum ambitu corporeque formam & amplitudinem perhoneſti oppidi habet. Situm eſt in amœniſſimo planè loco, & frumenti, vini, cæterarumque frugum maximè fertili, populum habens lautum, humanum, venuſtum, liberalem, armiſque tractandis ſtrenuum: cum arce quoq; muniriſſima, vt quæ inter præcipuas Italiæ totius collocari debeat. Caſtrum item ipſum, peralta lataque foſſa & muro duplici conſeptum eſt.

Rouer 10

ROVERVM vulgo Rouer in Padi ripa novi nominis oppidum eſt, è regione Oſtiæ ſitum, cum primis lautum ac ſplendidè ædificatum.

Oſtia	1	S. Benedetto	11	o. Mantua	12
				Simul	24.

MANTVA vrbs vt ſitu eſt munitiſſima, ſic & ædificijs publicis privatiſque perampla; rectis ac ſpacioſis plateis apparet admodum decora & venuſta. Habet magnificas ædes ſacras, Templa, Porticus & palatia ſumptuoſa & abundat mercibus, omniumque rerum neceſſariarum copia, propter aquarum commoditatem. Etenim

populus ipſe, vt ad arma, literas, artes, ita ad mercaturam, aliaſque negociationes valde gnavus & promptus eſt. In ædibus Cæſaris Gonzagæ oſtẽduntur Deorum artificioſę ſtatuæ plures & aliquę Imperatorum marmoreæ ad vivum factæ imagines, Corinthia ſigna & ærea ſigilla infinita, ornatiſſimæ ſuburbanæ villæ, quam Teiam vulgo vocant, à primo Duce Mantuanorum Friderico ſumptuoſe conſtructæ, tractus eſt amœniſſimus, vineis & hortis excultiſſimis ac denique prætorio ampliſſimo, in quo præter picturas incruſtationes, ornamentaque cætera exquiſita, eſt admirationi peramplum concameratum atrium in cuius cælo Iovis & Deorum aduerſus Gygantes prælia figuris fere coloſſeis ſummo cum artificio ſunt depictæ. Ibi inſuper Echo tacitè ac ſubmiſſe loquentium verba in parietum angulis, ita plene vt intelligi poſſint reddit auſcultantibus, & aurem aduerſę parieti applicantibus per paſſus plus minus viginti. Prætorium, famoſi artificis Andreæ Mãtengæ picturis decoratum eſt: in quo cernuntur ſeptem eius tabulæ peramplæ, in quibus Cæſaris dictatoris triumphus Gallicus arte tam excellẽti depictus eſt, vt inter celeberrima Italiæ pictorum opera tabulæ illæ referantur. Villę Marmirolanæ ſitus eſt amœniſſimus. Quæ quidem nobilis atque præclara, à Friderico primo Marchione magnis impenſis exædificata eximioque architectorum artificio. Nam pretorium villæ, quod palatium nunc appellant, tantam habet copiam, atque opportunitatem conclavium; vt vel rege quovis excipiendo ſufficiat. Exornant mirifice villam circũcincti peramœni & nitentes horti fructiferarum arborum omnis generis, cum vitium pergulis pulcherrimis: item Luci & ſilvæ elegantes. Sunt hic Piſcinæ, vivaria & fontium ſcaturigines artificioſiſſimi, vbi per multiplices ſyringas & ſecretas fiſtulas vndique prorumpentium aquarum copia, ſubito, perfundere, & aſtantes ſpectatores irrigare poſſunt, in Ducis Palatij pulcherrimi atrijs porticu & cubiculis videntur picturę, aulea ſculptilia & ſtatuæ. Muſæum Ducis ac pernobilis, illa crypta, exquiſitis antiquitatum monumentis, rerumque nobilium, ac precij inæſtimabilis cimelijs referta eſt, multa hic cernuntur ſummi artificij vetuſta ſigna, & deorum imagines ex marmore & ære: inter cætera eximius ille Cupido æreus, leonis exuvio indormiens ſepoſita facula, ſiue arcu, ac pharetra à tergo reiecta, quod opus Praxitelis eſſe ferunt. Quo pulcherrimo quidem ſymbolo inſignis artifex nobis ſummam atque ſecretam amoris vim & potẽtiam declarare videtur: qui facillime & quaſi nihil agens, per quietem ac ſomnum ſibi ſubijcit ac domat animos etiam leoninos & ferociſſimos. Magnus ibidem eſt vaſorum ex auro argentoque præcioſiſſimorum theſaurus; item cornu Monocerotis ingẽs ac mirę proceritatis. Organa muſica ex Alabaſtrite ſingulari artificio fabrefacta, quibus cum aptiſſime ſuauiſſimeque poteſt: nummorum & annulorum antiquorum hic vis ingens: gemmea pocula, ſigilla, & varia ex corallis, cryſtallis, diverſaque nobili materia ſupellex: hic horti ſublimes ac penſiles palatio contigui, qui ſane pulcherrimi, topiarijs, ac fontibus, exor-

natique

natique picturis ac ſtatuis amœnitatem & elegantiam ſummam repræſentant. Novi Palatij ſtructuræ perамplæ & valde ſumptuoſæ ſunt. Habitationum enim omnium interiores parietes, teſtudines atque fornices, opere tectorio marmorato, denticulis atque figuris magna ex parte inauratis, necnon artificioſiſſimis picturis ad antiquorum imitationem & magnificentiam exornantur. Vide Tabellam Inſubriæ.

Petim	8	Montichiaro	2	Simul	26.
Nonali	8	o. Breſcia	8		

Brixia vulgo Breſſa ad radices montis eſt poſita ac antiquitate, amplitudineq; ædificiorum cum multis vrbibus certare poteſt, propter diſſenſiones olim Gallorum ac Inſubrum vicinorum iugo oppreſſa, varias paſſa calamitates: nunc tandem ſub Venetorum Imperio quieta floret opibus, ac mercatura frequenti, rebus omnibus affluens, ſolertis ingenij populo, ac nobilitate magna frequens. Agro item olei, vini, frumentorum, fructumque omnis generis excellentiſſimorum fertiliſſimo locuples: habetque metallorum venas fœcundas, imprimis ferri & æris: vnde maximus redit civitati quæſtus. C. Cæſaris auſpicijs ſimul cum alijs Tranſpadanis ius Romanæ civitatis accepit, atque ſub Impp. Romanis, deinde, quamdiu Imperium in Italia ſtetit, admodum floruiſſe conſtat. Teſtimonio ſunt antiquitatis monumenta varia quæ adhuc in eadem vrbe, vicinoque territorio paſſim reperiuntur: nimirum pulcherrimæ marmorum inſcriptiones, ſtatuæ ſtatuarumque tituli atque illuſtrium hominum epitaphia plurima: ex quibus vrbis illius amplitudo priſca facile colligi poteſt. Vrbis templum, ac Epiſcopi palatium ſtatuis ornamentiſque varijs opulentum, atque Forum porticibus atque prætorio ſuperbo conſpicuum eſt: in huius parietibus Impp. antiqui & illuſtres Romani collocati addito elogio, Fidei, pietati, fidelis Brixia collocavit.

o. Iſſeo	15	Tiran	8	Tintzen	5
Piſogno	10	Puſtlaff	7	Vatz	9
Breno	9	Tranſi mõtem Berlina dictum		Borpen	6
Edolo	10	Ponte raſinas	8	o. Chur	6
Hoſp. Vrigo	10	Bivio	10	Simul	113.

Cvria vulgo Chur Metrópolis eſt Rhetiæ de ea dictum in libello Deliciæ Germaniæ inſcripto, qui conſulendus eſt.

Iter Roma Ferrariam, Veronam, Tridentvm.

Bononiam vſque numerantur in præcedenti itinere milliaria	194.	Vide Tabellam Romandiolæ.		Poggio	9
		Funo	10	o. Ferraria	10
		S. Petro	9	Simul	232.

Aliud Iter Bononia Ferrariam.

Cortiſella		S. Zorzi	6	Simul	91
S. Petro	19	o. Ferrara	14		

Ferraria vulgo Ferrara Padi ad ripam, ab Oriente & Meridie poſita reſplendet pulchris & egregijs ædificijs, peramplis & apertis plateis: quarum præcipuas Leonellus Marchio primum coctis lateribus ſtravit. Magna pollet nunc temporis nobilium familiarum opulentia, atque civium locupletum frequentia, necnon celebris eſt Gymnaſio literario publico diſciplinarum omnium, à Friderico II. Imp. Bononienſium in contumeliam inſtituto. Quamvis Ferraria non fumoſis aut carioſis Troianorum Græcorum aut Romanorum imaginibus ſuperbiat (nondum enim mille ſunt anni, quod primum cingi muro cœperit, Imp. Mauritij auſpicijs ab eius Exarcho Smaragdo, vti Blondus & Volaterranus aſſerunt) tanta tamen in hunc vſque diem incrementa, principũ ſuorum cura ſumpſit, tantiſque ornamentis expolita eſt, vt inter principes Italiæ civitates merito non poſtremum locum obtineat. Crevit enim mirifice, ſub inclyta gente Marchionum Ateſtinorum, maximè Nicolao tertio, & Hercule primo, tam opibus quam ædificijs publicis. Palatij inſignia atq; regalia ſunt ornamenta: Novi caſtelli ſtructuræ magnificæ & ſumptuoſę: Carthuſianorum cœnobium in ſeptis ſumptuoſiſſimum eſt, ædificium, exſtructum & dotatum à Borſo Nicolai F. Ateſtino Marchione, Ferrariæ regulo, vbi & ſepulturam ſibi inſtituit. Templum Cathedrale pulcherrimum eſt Aſylum hic ab Hercule Duce conſtitutum. Extra vrbem, vltra Padum Inſula eſt Calopſis, vulgo il Belvedere, quinque mill. ſpacium continens, anguſta & in longum protenſa, cuius ſeceſſu maximè delectatus fuit Dux Alphonſus: in ea rota eſt, qua aqua extrahitur in vas æneum, & inde in

de in omnes partes domus derivatur. Balineum quoque hic cũ ponte, per quem incautius ambulantes in aquam decidunt: item Sylva arboribus in quincuncem diſpoſitis, hortus, vinea, ambulatio, fonticulus: alia quoque ſylva feris dicata.

Spalentone	10	Sanguene	10	Bona	5
Figarola	3	Villa fontana	6	Tomba	4
Baſtion de la croſetta	6	Caſele	4	o. Verona	4

Veronam Veneti maximis operibus & ſumptibus, continuoque ſtudio, pro huius ſeculi ambitione contendunt inexpugnabilem reddere, immanibus aggeribus, ſpiſſiſſimis muris, turribus ac propugnaculis, tormentis bellicis armatis, foſſis profundis atque latis, quas Atheſis intromiſſus redimplet: item portis novis, quæ non tãtum artificio & operibus admodum munitæ, ſed etiam ſculpturis ſtatuis & marmoreis columnis adornatæ. Veronæ civitatis origo variè prodita invenitur, Cato à Thuſcis conditam, & Sempronius à Thuſca nobili familia nomen habere ſcribit. Atheſi amne non tam dividitur quam munitur. Ad forum boarium eſt vetuſtiſſima & è quadrato ſaxo perampliſſima Amphitheatri moles, quam Arenam cives appellant: cuius exterior paries quatuor Zonis pulcherrimis cinctus, totidem columnarum, arcuum ac feneſtrarum ordinibus, quadruplici opere, Dorico videlicet, Ionico, Corynthio & compoſito, ad admirandam extollebatur altitudinem: quemadmodum ex dicti parietis quatuor arcuum parte colligi poteſt, quæ ſola reliqua manet adhuc erecta. Totum enim exteriorem amphitheatri circulum, barbari poſterioris ſeculi, ſublatis ad alia ædificia marmoribus, vſque ad fundamẽta ſunt demoliti; atque tantæ maieſtatis opus, non ſecus ac formoſam, adornatam, ac longe conſpicuam Spartã quandam, diſcerpta pulcherrima veſte, turpiter admodum denudarunt. Ex reliquijs tamen, veluti ex vnguibus Leo, totius ſtructuræ magnitudo facile cognoſcitur, & quanta eius ars ac pulchritudo fuerit. Ordinem enim vnumquemque parietis exterioris LXXII. & dimid. portas vel arcus totidemque columnas habuiſſe, docet ipſa circularis proportio & architectica dimenſio. Tertium autem operis Corinthiaci CXLIV. ſtatuis coloſſeis, inter arcus & columnas redimitum fuiſſe, loculi & veſtigia demonſtrant, introductus viator in porticus triplices interiores concameratas, totam machinam circumambientes, admiratur viarum ac graduum labyrinthos ſibi invicem occurrentium vndequaque, quibus populus ſcandere in porticus ſuperiores, & in ipſa caveæ interioris ſe-

dilia, vel deſcendere & exire ſine turbæ obviantis impedimento quam commodiſſimè poterat, ingreſſus arenā mediam, gaudet videre planiciem ovata ſpecie extenſam in longum decempedas XXXVIII. in latum vero decempedas XXII. cum dimidio, circumſeptam vndique ſedilium ordinibus quadraginta duobus, gradatim, declivis tecti in modum ſupra porticus interiores aſcendentibus in altum: quæ tantæ ſunt capacitatis, vt ſupra viginti tria hominum milia per circuitum in ijs commode ſedere potuerint. Spoliata quidem olim fuit à Barbaris interior hæc amphitheatri cavea marmoreis ſuis ſubſellijs; ſed nunc equeſter ordo nobilitaſque Veronenſis eandem ſuis impenſis reſtaurare, marmoribuſque veſtire cœpit, quæ feſtivis quibuſdam diebus populo venationes, ludos equeſtres, ac pedeſtria certamina publicè in eadem arena, maiorum more ſolet edere. Videntur præterea Veronæ Theatri veteris ruinæ, pontes lapidei in Atheſi: item porticus partim combuſtæ, partim directæ, necnon Iani quadri frontes, & arcus marmorei ſculpturis pulcherrimis elaborati, atq; titulis eorū, quibus ob merita publicè fuerunt erecti, inſcripti. Sita eſt Verona ad exitum camporum Veronenſium, qui patent XX. mill. paſſ. loco nobili lauto & peropportuno. Ad Septentrionem illi tellus leniter aſſurgit, & iuga theatralem formam exprimunt. Vallis vineta habet, & pomeria amœniſſima, quæ blandè ſpectantibus arrident. Magnificis & ſplendidis ornata eſt ædificijs, inter quæ pervetuſta ædes Cathedralis, cuius chorus columnis marmoreis fulcitus, & Numidico, Porphyretico & Pario lapide incruſtatus eſt. Agro eſt optimo, frumenti, olei, cęterarumque frugum fertili, Roſmarinus in murorum ruinis ſponte naſcitur, & ad arboris mediocris proceritatem pervenit: horti cultiſſimi: Vellerum quoque nobilium copia incolæ quæſtum non leuem faciunt. Vinum Rheticum, quod producit Verona, Theodorus III, Oſtrogothorum rex Atheſi & mari Adriatico, ac dein iumentis Romam vſque ſibi deferri curavit: Caſſiodorus Acinacium vocat, eſt coloris nigri, ſaporis regij & optimi: imminet civitati mons, Baldus herbis & plantarum varietate celebratus, cæteros altitudine ſuperans, nec amœnitate & pulchritudine alijs cedens: in eum ex omnibus Europæ partibus confluunt herbarij ad radices medicas herbaſque morbis quibuſcunque maximè ſalutares colligendas: pluribus etiam fontibus hic ager ſcatet, cernuntur hic horridi & inacceſſi montes, ſaxeæque crepidines & rupes admirandæ, haud longe diſtat Verona Lacus Benacus, hodiè Lago di Garda appellatus, à caſtro ei incubante. Eſt totius Italiæ amœniſſimus in longitudine XXX. in latitudine XV. mill. Italica continens; piſces lautiſſimos ſubminiſtrat, maximè Truttas & Carpiones, qui adeo ſuaves & delectabiles ſunt, vt coloni referant eos auro nutriri. Pomorum cytrinorum, auraicorum, granatorum, amygdalorum atque aliarum frugum tanta copia, vt delicate & minori præcio hic viuatur, quam alijs Italiæ locis. Populus Veronenſis magnificus & ſplendidus eſt, & maximè ad literas idoneus abundans delitijs & voluptatibus,

erga

erga hoſpites & peregrinos beneficus, humanus, liberalis. Verona annuatim pendet Venetis, quibus paret, 180000. Ducatorum.

Volagne	11	Rovero	11		Simul 43.
Borgetto	11	o. Trento	10		

Aliud Iter ROMA TRIDENTVM per PATAVIVM & VICENTIAM.

Ferrariam vſque numerantur in itinere præcedenti milliaria	232.	Racan		Anguilara	9
		Caſa ſelvatica		Conſelve	6
		Argua	9	o. Padua	14
Francolin	6	Ronigo	6		Simul 282.

Aliud Iter Ferraria Patavium.

Sarofaio	9	Ronigo	12	S. Maria del Vlmo	
Poliſella		Marianaga	6	o. Padua	19
Paſſo del Ponteſto		Anguilara	3		Simul 49.

PATAVIVM vulgo Padua antiquiſſima eſt civitas, condita ab Antenore, Troia (quam Græci exciderant) profugo. In Venetorum tandem ditionem pervenit, qui eam adeo muris turribus, molibuſque muniverũt, vt expugnari nulla vi poſſe videatur, modo defenſores, & res ad tutelam oportunæ non deſint: itaque iam ſub filiæ fœliciſſimo vmbraculo tranquillè quieſcit mater, quoniam originem ab hac illa, tanquam à matre filia traxit, coloniaque Patavinorum Venetiæ fuerunt. Sumptuoſiſſimis ædificijs abundat Patavium, inter quæ Arx priſcis temporibus munitiſſima, item Prætorium, Summum Templum, quod veteri memoria peringenti exiſtimatione fuit, item auguſtiſſimum nunc D. Antonij Vlyſipponenſis Hiſpani ex ordine fratrum minorum; Ædem hanc civitas, cum libertate ſub Rom. Imperij nomine frueretur condidit, prætereaque varijs temporibus 40. Plebanicas, cum quatuor cœnobijs mendicorum. Eſt quoque ſumptuoſiſſimum D. Iuſtinæ monaſterium, cuius ſpacium M.D. in ambitu foſſa complectitur: Curia quoque maior, Prætoris domicilium, quam Henricus Imp.

Imp. eius nominis primus ſtruxit: crematam vero Veneti longę ſplendidiore forma, qua nunc eſt refecerunt, in eaque ſublimi loco T. Livij Rom. Hiſtoriæ patris oſſa poſuere. Fora hic admodum ſpacioſa quorum vnum deambulationi & congreſſibus nobilitatis dicatum: alterum Olitorum: tertium frumentarium: quartum lignarium, poſtremum palearium eſt. Collegia ſunt hic aliquot, inopiæ ſtudioſorum iuvenum ſubleuandæ condita, quoniam omnium diſciplinarum Gymnaſium Patavini habent, à Friderico Secundo, in Bononienſium contumeliam, (quod fœdere contra ſe Rom. Pontif: coniunxiſſent inſtitutum.) Ager eſt Patavinus amœniſſimus, & frumenti, vini, reliquarumque frugum maximè fertilis, tantaque vbertate Triticum effundit, vt ſummam omnino habeat admirationem, paniſque conficitur ex eo totius Italiæ candidiſſimus: Vino quoque abũdat generoſo, quod Plinius inter nobilia celebrat optimum: in intimo ſinu maris Adriatici naſci ſcribitur, id enim agri Patavini eſt, qua ſinum Adriaticum nunc Venetum contingit. Nitet vndique hæc regio peramœna, nobilibus pagis vicis & villis ornatiſſimis, quæ fere patritiorum Venetorum ſunt, qui menſibus æſtivis ruri plerũq; cum familijs agunt. Habet etiam ager Patavinus colles & montes, qui ad Apenninum non pertinent, nec item ad Alpes, qua conditione nullus ager alius eſt Italiæ totius: montes hos vites, Oleæ reliquorumque generum arbores fructiferæ veſtiunt, ex quibus vina pernobilia, ſimulque ſuaviſſimum Oleum percipitur: iuxta ſunt colles Euganei poëtis celebratiſſimi, qui hos Euganeæ gentis primas fuiſſe ſedes fingunt. Sunt hoc collino ſitu vici, villęque ornatiſſimæ, nominatimque pagus celeberrimus Arquatus cognomento Montanus, Franciſci Petrarchæ memoria inclytus qui hic diu habitavit, & vitam quoque poſuit. Deinde vicus eſt Euganeus, propè quẽ aquæ calidæ perpetuos vapores & fumos exęſtuantes, nunc Aponi balneę vocantur à vico, qui iuxta eſt Apono. Virentes his aquis calidis innaſci herbas, etiam Plinius ſcripſit. In finibus monaſterij D. Mariæ Montis Ottonij cœnum calidum invenitur, ad multos morbos ſalutare, quod vndique ſcaturientes aquæ calidæ efficiunt. Iuxta eſt cœnobium ampliſſimum Pralia, Benedictinorum ſodalium domus, imprimis ſumptuoſum ædificium, nobiliſſimiſque totius Italiæ conferendum.

Brentello	4	Meſcom		o. Vicenza	10
Ruban		Arleſſega	6		Simul 20.

VICENTIA vulgo Vicenza ſita eſt iuxta radices collis, duobus diviſa amnibus navigabilibus Bachilone & Rerone, qui ex vicinis montibus, in ipſa vrbe Bachiloni iungitur, quem optimas Italiæ totius anguillas habere perhi-

perhibetur: horum omnium beneficio Vicentia mercium rerumque omnium inferendarum magnam commoditatem ex agro habet, abundatque maxima rerum omnium ad vitam vtilium copia, propter ſummam agri amœniſſimi vbertatem, qui frumenti, vini, cæterarumque frugum, maximè fertilis eſt. Tanta cum in ipſa vrbe tum in agro Mororum arborum, quarum fronde bombyces aluntur frequentia eſt, vt ſummam habeat admirationem. Poma ferunt albá, quamobrem hoc Sericum non tam eſt robuſtum, ac illud quod vermes genuere folijs earum arborũ nutriti, quæ Mora nigra producunt. Vberrimũ hinc quæſtum Vicentini faciunt. gens ingenijs vividis, fiduciæque magnæ, promptiſſimi ad literas, militiam, mercaturam, lautè admodum vivit honeſteque veſtitur, atque perpetuò in re facienda deſudat. Forum vrbis magnificentiſſimum eſt, ſicut & Prætorium, Cuſtodia pagus Vicentini agri ſexto ab vrbe lapide, eſt ad altiſſimi montis pedes, is poſteriori ad occaſum latere, cavernas habet, inter alias vnam memorabili vaſtitate: nam vti menſura, certiſque rationibus colligi poteſt, circuitu fere tria, millia paſſ. continet; ovata eſt eius forma, nam longitudine maxima Perticis 650. patet, quæ ad 4. mill. pedum conſtituunt: latitudine Perticis fere 490. ſeu pedibus propemodum ter mille, cavatus ita mons diuturno temporis ſpacio creditur, cæſis ad ædificia lapidibus: quoniam antiquæ Patavinorum & Vicentinorũ ædes, hoc lapide conſtare palàm eſt, relictæ autem fulciendo montis tecto Pilæ cernuntur ſolidæ ex eodem lapide, peringentes, quadratæ, trium ferme in ſingulis lateribus Perticarum, intervallis inter ſe imparibus, pleriſq; tamen, vti menſura compertum Perticarum 12. Numerus columnarum in vniverſum ad mille eſſe creditur. Latumias fuiſſe has non ſolum quadrati adhuc lapides aliquot circumciſi nec extracti docent, verum etiam orbitæ veſtigiaque rotarum, cũ iam pridem nemo currus intus fuiſſe memoria teneat, in exitu huius ampliſſimæ cavernę lacus eſt aquę tam claræ, vt infimum Solum perluceat, quamvis quibuſdam in locis eius altitudo ſit pedũ 20. quemadmodum aſſerunt accolæ, qui etiam Lintribus enavigaſſe aquas multaque de lacu & eius amplitudine fabuloſa narrant. Piſces omnino nullos habet, præter Squillas minimas nec illis marinis diſſimiles, quæ vulgo Venetijs vendi ſolent. In ipſa caverna genus aliud animalium degit nullum præter Veſpertiliones, notas quaſdam in fronte tenentes, & colore ab cætero genere diverſo. Quibuſdam in locis humore ſupernum ſaxum ſtillat, ad corrumpendum quæ contingit admodum efficaci; docent hoc ſtipulæ ab ijs forte relictæ, qui ſpecus viſendi cauſa ingreſſi ſunt, quæ breviſſimo temporis ſpacio corruptæ cernũtur vti etiam radices arborum, & id genus alia, hic putredine abſumpta videre eſt.

Liſola	10	Trigno	7	o. Trento	6
Zonova	5	Aqua	8		Simul 46.

Tri-

TRIDENTVM vulgo Trēto civitas eſt, ſic à veteribus etiam appellata, & à Ptolemæo Cenomanis attributa. Nominis etymon & cauſam varię prodiderunt auctores. Situm eſt Tridentum intra montes, in profundiſſima valle ad ripam Atheſis, ſpacio non magna ſed pulchra. Italis Germaniſque mixtim habitata, domos habet humiles. Arx in ea pulcherrima à Bernhardo Cleſio Cardinale ad ornatum magis & ſplendorem, quam ad tuendam vrbem ædificata, in qua multa conclavia picturis varijs ornata.

Neves	Sluderens	Yms
S. Michel	Mals aut	Nazaret
Salurn	ſieben Kirchen	Laryntz
Numarckt	Nividers	Reut
Kaſteren	Finſtermunz	Fueſſen
Heppen	Pfundz	Neſſelvvang
Terle	Brucz	o. Kempten.
o. Meran	o. Landeck	

CAMPIDONIA vulgo Kempten pervetuſtum Germaniæ oppidum eſt, de eo vide in delicijs Germaniæ.

ITER ROMA POZZANVM, BRIXINAM, OENIPONTEM.

Tridentum vſque numerātur in itinere pręcedenti milliaria 327.	Neves	1	Neumarkt	1
	S. Michel	1	o. Boczen	3
	Salurn	1		Simul 334.

POZZANVM vulgo Boczen municipium eſt perlautum ac opulentum emporio: nam ſtatis anni temporibus celebrantur ibi nundinæ ob loci opportunitatem, quibus eo confluunt mercatores ex Germania, Gallijs Italia & Illyrico. Itali mutata nonnihil voce hoc oppidum Bolzan appellant.

Blumavv

Blumavv 1
Artzvvang 1
Kolman 1
Cluſe 1
o. Brixen 2
Simul 6.

BRIXINA vulgo Brixen civitas in comitatu Tyrolenſi ſita eſt, vbi Rientius ignobilis fluvius in Iſarã influit, qui deinde auctior factus, alveo ſaxoſo & inæquali ad Pozzanum in Atheſim exoneratur. Eſt autem Brixina aëris temperie totius regionis præſtantiſſima, vt quæ in vmbilico fere Comitatus ſita, nec Italici cœli æſtivo caumate aduratur, nec Hyberno frigore, à ſummis Alpibus imminenti obrigeſcit. Aquarum fructuumque ſumma eſt ſalubritas; ex quibus ille, qui vulgo Virgineus vocatur merito nominatiſſimus habetur. Ager Brixinenſis altiſſimis vndique montibus cingitur eſtque autumnalium aliarumque frugum viniq; apprime ferax; verum cum album ſit mediocre, rubro tanta eſt præſtantia, vt ad remotiſſima loca, ingenti ſane prætio vehantur, vniſque fere Principum menſis, ad eximium conviviorum decus, reſervetur. Cathedralem Eccleſiam habet Brixina valde inſignem vnamque, Collegiatam: Epiſcopalem vero ſedem antiquiſſimam. Epiſcopus ipſe vtriuſque poteſtatis, tam ſecularis quam ſpiritualis ius habet, eſtque Imperij Romani Princeps.

Contendendum per ſaltus & ſalebroſas Alpium cautes:
Beiſſer 2
Sterczingen 2
Goſſenſas ½
Tranſcendendi vaſti Pyrenei, vulgo Brenner ſaltus & ſcopuli, cui nive tincta coma eſt, glacie rigent aſpera arua,
Lug 2
Steinach 1
Matran ½
o. Inſpruck 2
Simul 10.

OENIPONS vulgo Inſpruck vrbs Comitatus, Tirolenſis Metropolis eſt: de eius delicijs dictum de Libello Deliciæ Germaniæ inſcripto, ad quem Lector remittitur.

ITER ROMA RAVENNAM, VENETIAS.

Ceſenam vſque numerãtur in itinere Roma Ferrariã milliaria 187.
Figarolo 6
S. Lorenzo 4
o. Ravenna 5
Simul 202.

RAVENNA antiquitate magis quam ædificiorum pulchritudine modo celebris eſt, à Theſſalis, vti Strabo memorię prodidit, primum condita, ſed poſtea ab Vmbris atque Sabinis poſſeſſa, cum Thuſcorum iniurijs vexati Græci vltro his coloniam inhabitandam ceſſiſſent in Græciam redeuntes. Vmbros poſtea Galli Boij, Boios demum Romani expulerunt. In quorum ditione ac fœdere ad finem vſque Imperio ſtante permanſit, donec à Odovacre & Herulis illæ provinciæ ſubiugarentur. Quem debellatum Theodoricus Oſtrogothorum rex cepit atque Ravennam ſibi ſedem regni conſtituit, Tenueruntque deinceps illam Oſtrogothi vltra annos LXX. donec à Narſete Iuſtiniani Imperatoris præfecto Italia pellerentur. Poſt Narſetem tenuerunt vrbem Exarchi Imperatorum Byzantinorum per annos amplius C. LXX. quibus aſſidua cum Langebardis à Narſete in Italiam adverſus Rom. Imp. accitis bella fuerunt. Quorum potentia tandem intercedit exarchatus, cum Aiſtulphus rex Ravennam bello cepiſſet. Verum is poſtea Francorum viribus ac Pipini regis ductu victus, vrbe eadem, atque toto Exarchatu cedere coactus fuit. Cuius ſucceſſor Deſiderius, poſt diſceſſum Pipini ex Italia, pactorum fide ſpreta, cum Exarchatum rurſus occupaſſet, Caroli Magni atque Francorum armis is etiam victus & captus, Italiæ regnum ſimul cum Ravenna & Exarchatu Langebardis vbique pulſis amiſit. Sic etiam hæc vrbs, fortunæ temporumque varietates, atque plures bellorum clades ab initio perpeſſa fuit. Nec non patrum memoria à Gallis crudeliſſimè, ſacris ædibus expilatis, direpta non ſolum, verumetiam inteſtinis factionum calamitatibus adflicta iacuit. Eam Cornelius Strabo tradit ætate ſua in medijs paludibus poſitam, ædificijſque ligneis conſtructam totam fuiſſe, aquis vbique ſubtus intercurrentibus, ideoque pontibus ac Lembis peragrari ſolere. Maris etiam auctibus cum inundaretur hinc fluctuum inde amnium concurſu nonnunquam cives atq; inquilinos in ædium altiora tabulata compelli, inferiora vero cœni lutique ſordibus elui aquarum aſpergine. Atque ideo fieri perhibet, vt huic vrbi, non ſecus ac Alexandriæ in Ægypto, ſumma in paluſtribus locis cæli fuerit ſalubritas. Nunc paludibus exiccatis, circumquaque patentes atque fructiferos habet campos, ſegetibus imprimis felices, hortis cultis, atque paſcuis abundantes optimis. Divum Auguſtum cum ampliſſimo portu & altiſſima Pharo Ravennam nobilitaſſe ſcribitur, vbi & claſſem ad tutelam ſuperi vel Adriatici maris conſtituit; adiecitque in ſuperiore portus ac faucium cornu è regione Ravennæ, caſtra hiberna claſſiariorũ: quæ in oppidi formam ædificata, mœnibuſque munita, Claſſis Ravennas poſteriore ſeculo nuncupari cœpit. In medio portus vertice, verſus mediterranea, Cæſaream aliud oppidulum fuiſſe volunt, à Longino Exarcho deinde foſſa valloque ſeptum. Itaque continuis fere trium oppidorum ædificijs ſemicirculari forma portus Ravennas olim locupletiſſimè coronabatur. Nunc vero vix vlla viſuntur portus aut ędificiorum veſtigia præter quaſdam ędes ſacras religioſorumque cœnobia;

bia, ſed omnis illa plaga maris atque ſtagnorum mundationibus cœno & arena oppleta eſt. Ravennam portis ac muris novis muniviſſe Claudium Imp. teſtatur titulus, portæ marmoreæ, quam ſpecioſam, vel auream, nunc vulgus ob architecturæ vel artificij pulchritudinem appellat, ab antiquis inſculptus. Eandem deniq; adampliatam muriſque reſtauratam à Placidia Galla, Arcadij & Honorij Impp. ſorore eiuſdemque filijs Valentiniano & Tiberio Blondus aſſerit. Mox eam ſibi in regiam occupans Theodoricus Oſtrogothorum rex, exornatam varijs ædificijs, ſpolijſque provinciam ditatam ſucceſſoribus ſuis reliquit. Horum templa, palatia, & ædificia varia adhuc ibidem cernuntur. Viſu hic dignum Archiepiſcoporum ſedes, templum vrbis maximum ac ſumptuoſiſſimum, 4. columnarum præcioſiſſimi marmoris ordinibus ſuffultum, ſupra cuius altare ſummum viſebatur patrum noſtrorum memoria innixum pulcherrimis columnis marmoreis cælum argenteum 36. milium aureorum, cum Limbis faſtigiorumque ſigillis, atque parergis inauratis & elegantiſſimis. In Sacelli maioris Hemiſpherica teſtudine, opere muſeiario Græcanico effigiati primi illi 12. ſancti Antiſtites, qui columbę candidæ ſupra caput apparentis indicio, Ravennates Archiepiſcopi ſunt electi. In D. Martino prius, nunc D. Apollinari ſacrato Fano, aureum eſt cælum Theodorici regis Oſtrogothorum, ab eo quondam ſplendidiſſimè ædificatum, id grandium columnarum ſolidarum rari & exotici marmoris, quas Byzantio rex adferri curaverat binis ordinibus, varijſque alijs marmoribus nobiliſſimis ditiſſimè exornatur, quæ Roma, & ex alijs Italiæ locis tranſtulerat. D. Vitalis Flavij rotundi ſumma teſtudo & tholus aræ maioris, columnis item marmoreis nobiliſſimè ſuſtinetur, quin etiam fuit olim cum pavimento ac parietibus tabulis marmoreis, opereque teſſellato cum emblematis circumquaque veſtitum atque incruſtatum, veluti ex reliquijs operum quæ adhuc ſuperſint colligitur. Huic vicinum eſt D. Gervaſij atque Prothaſij Fanum opulentiſſimè à Placidia Galla conſtructum, & marmoribus nobiliſſimis excultum: in quo etiam Gallæ, duorumque eius filiorum ſepulchra marmorea, pulcherrimè exculpta viſuntur. D. Ioannis Euangeliſtæ Fani ſtructura, eſt eiuſdem Placidiæ, Honorij Arcadijq; Imp, ſororis: in cuius teſtudine Impp. imagines opere muſeiario teſſellato effigiatę ſunt, qui de proſapia conditricis fuere. Hic quoque ſunt ingentis Palatij ruinæ quod Theodorici Oſtrogothorum regis fuiſſe volunt. In cratere Fontis eſt herculis horarij vel (ſi mavis) Aſtrologi ſtatua marmorea, qui poſita clava, velut Atlas innixus genu ſiniſtro, è terra ſeſe erigés, ambobus lacertis, atque cervice geſtat horologium ſolare ſemirotundum & convexum: in cuius concavitate, per gnomonis ſeu vmbilici ſolis vmbram, horæ diurnæ lineis diſtinctis demonſtrantur. Haud diſſimilis herculis ſtatua, eſt Romæ in vinea Stephani Bubalij reperta, qui non horographium ſciotericon, ſiue vas horoſcopum cervice, ſed cæli ſpheram ingentem, Zodiaci atque fixarum ſtellarum imaginibus pulcherrimè ſculptis exorna-

 tum

tum geſtabat. Ædes rotunda D. Virginis Mariæ ante Ravennam eſt antiquiſſima & pulcherrima: Ædificium eſt forma rotundum ac eximium, opere reticulato è ſpiſſo quadrati ſaxi muro, cuius interior circulus amplitudine per diametrum XXV. & dimid. pedum eſt. Pavimentum è varij coloris lapillis ingenioſe teſſellatum bellis renitet emblematis: Tectum totum ex vno ſaxo granoſo, ſed præduro, forma hemiſpherica concavo; in cuius vmbilico medio foramen rotundum diem ac Solis radios immittit. Miraculum apparet, & hæſitant cuncti ſpectatores, divinare nequeuntes, quanam induſtria, quibuſve inſtrumentis, tanta ſaxi moles, in ædificij illius culmen evehi potuerit: cuius amplitudo rotunda per Diametrum XXXV. & dimid. plus minus pedum eſſe conijcitur; cõſiderato nimirum exteriore ædis circulo, atque murorum quos tegit illa moles; & craſſitudinem menſæ cum cymatio, cornicibus, zophoris atque epiſtylijs columnarum, quæ forinſecus ædem exornant. In faſtigio tecti, ſupra foramen in columellis ſteterat olim Theodorici Oſtrogothorum regis ſomotheca nobilis, ex lapide Numidico porphyreo leucoctito ſolida longa pedes octonos, alta quaternos, cum operculo ex ære Corinthio inaurato, ſignis parergis & emblematibus elaborato quam opulentiſſimè, quod monumentum, vti plures ſcribunt, Amala Sinuta Oſtrogothorum regina, patri poſuerat: ſed bello Gallico Ludovici XII. Barbari milites prædę ſpe ſarcophagum illum tormentorum ictibus deiecere, cuius adhuc reliquiæ quædam viſuntur ibidem.

Hoſp. primero	12	Porto delle Fornaſe	10	Malamoco	16
Hoſp Magnavaca	9	Foſſon	0.	Venetia	6
Hoſp. Volanæ	14	Brondolo	10		
Goro	16	Chioza	3	Simul	96.

Venetorum vrbs in regiones eſt diviſa ſenas, proinde Sexteria vocant, habetque in vniuerſum vicos ſeu plebanicas congregationes 72. cœnobia 41. quorum 17. conventus monachorum ſunt, 24. Virginum, pro Templis areæ ſingulæ ſternuntur ad civitatis decorem, vna D. Pauli æde excepta. Frequentantur omnes areæ nundinis, die qui Mercurij dicitur ac Sabbato D. Marci forum maximo frequentiſſimoque conventu, qui vel mercatui vrbis cuiuſvis totius Italiæ comparari queat. Forum hoc vnum non eſt, ſed coniuncta tria. In capite quòd litus ſpectat, area quę cæterarum poſtrema, columnæ peringentes binæ cernuntur, quarum vna D. Marci Leoninum alatum ſignum, altera D. Theodori ſtatuam ſuſtinet, in ipſo intercolumnio, ſupplicia de condemnatis ſumuntur. Forum hoc in longum pedes 400. in latum 120. patet, vndique nobilibus ædificijs clauſum, præoccu-

patur

patur ſumptuoſiſſimo ac mirabili templo D. Marci, quod alterius fori medij longitudinis pedum 500. latitudinis 130. frontem exornat: alterumque caput eius exaduerſum, ædes nobili è lapide perfecta D. Geminiani tenet. Latera claudunt ſplendida è marmore ædificia, cum eximijs Porticibus, & variorum artificum tabernis. Ædes Marciana tota, è nobiliſſimo prætioſiſſimoque marmore, nec minori artificio quam ſumptu conſtructa eſt: Pavimentum inprimis nobile habet, porphyreticis, opheticis, alijſque prætioſiſſimis lapillis teſſellatum cum varijs emblematis; in parietibus quoque nobili marmore cruſtatis. Ad lævam binæ tabulæ ſunt varij lapidis, candorem nigræ lineæ diſtingunt, in quarum commiſſura, ſignũ virile, tam excellenti artificio cernitur expreſſum, vt ſummam prorſus habeat admirationem: inclyto in hoc Fano, ac inter Europæ totius magnificentiſſima cenſendo, 36. columnæ ſtant ex marmore ſolido præſtantiſſimo, craſſæ diametro pedes duos, altæque convenienti ſtatura. Tum ad Aræ ſummæ penetralia, gradibus aliquot nobiliſſimi lapidis aſcenſus eſt; ipſam Aram teſtudo tegit, quaqua verſum in crucem fornicata, lapide ophetico, quaternis fulcita marmoreis columnis, quæ totę ſignis integris, palmi paulo amplius magnitudine, celatæ perfectæque ſunt, & ſumptuoſiſſimo mirabilique prorſus opere, veteris ac novi teſtamenti hiſtoriam exprimunt, poſt Aram alabaſtriticæ columnæ paſſuum duorum, perlucidæ vitri inſtar, quatuor: ipſum delubrum vtrinque ante ſuggeſtum habet, in quorũ vno feſtivis diebus, cum Senatus adeſſe ſolet, muſicorum chorus, ſolennia modulatur vota: in altero quotidie Diaconus Euangelium canit. Suſtinent hæc Pulpita columnę variorum lapidum nobiliſſimæ. Summam Aram inſignis tabula decorat ex auro argentoque facta, multiſque infiniti prætij gemmis & margaritis exornata: dextera mox in parte Baſilicæ medio, lata ſublimiſque porta cernitur, opere teſſellato perilluſtri elaborata tota, intra portam hanc theſauros illos inclytos D. Marci procuratores ſervant: ſunt hic coronæ maximi precij duodenæ, totidemque thoraces puro ex auro, cum mirabili gemmarum variarum multitudine: ſunt hic Carbunculi, quos Rubinos vocant, item Smaragdi, Topazij, Chriſolithi, cæteraque genera gemmarum, & margaritæ magnitudinis pene incredibilis: deinde bina cornua Monocerotis, eximia proceritate: tertiumque brevius, item Carbunculi, aurea vaſa, Cochleæ ex Achatis & Iaſpidibus non modicæ; Carbunculus ſeu Rubinus maximus: item Vrceolus ex prætioſiſſimis gemmis quem olim Vſum Caſſanes Perſarum rex, Venetæ reipub. dono miſit, aliaque tam multa ingentium prætiorum vaſa, cum Thuribulis ex auro & argento: poſtremo Mitra ſeu Galerus, qui novo Duci imponitur, vndique puro Auro, per oras, perque tranſverſum decoratus, in Zophoro nobiliſſimas gemmas, in ſummo apice Carbunculum infiniti prætij tenens. Adſunt etiam ingentia Candelabra Pateræque aureæ, aliaque multa maximarum opum. Vt ad ædem ipſam oratio reducatur, Atrium habet ea, duo eius latera claudens, cuius au-

ream

eam teſtudinem opere teſſellato, veteris teſtamenti hiſtoriæ depictæ nobilitant, nec pavimentum ipſi ædis interno cedit. Quaternę hic valvę aditum in templum præbent, cum 16. columnis è nobili marmore, craſſitudinis duorum pedum, aptæque ſtaturæ: duas Portas octonæ harum faciunt marmoris atri, cum niveis Onychinis maculis aſpectu iucūdiſſimæ. Porticus huius exterior frons (tria quippe templi latera cum coronis prominent) 114. columnis porphyreticis, ophoricíſq; & marmoreis alijs, altitudinis pedum 14. ſuſtinetur: aliuſque ſequitur huic impoſitus ordo columnarum, non quidem pari cum inferioribus magnitudine, ſed tamen eiuſdem nobilitatis 146. quarum coronis ambulatio aperta complectitur ſupra veſtibulum templi, quæ pariter vt ipſa Porticus, frōtes ædis externos cingit, Spondiſque forinſecus munitur ex marmoreis columellis. Hoc in ambulacio ſacerdotes feſto die Palmarum Senatu ac Principe ſubter aſtante, certas quaſdam ceremonias peragunt. Supercilium frontis, quod maiori Portæ (quinas enim hæc facies æreas habet, quarum binæ aperiuntur indies, totidem non niſi quibuſdam feſtivis diebus, vna perpetuo clauſa eſt) reſpondet, Equi ex ære vetuſti quatuor inaurati, forma magnitudineque Turcici vivi, mirificè ornant. A Solo huius ambulationis vſque ad Templi faſtigium, omnia græcanico opere cum emblematis inaurata ſunt, crebræque per ordinem eminent ſtatuæ. Divorum ex marmore perinſignes cum Baſibus Anaglyphis opere foliaceo, item ex marmore. Tectum Fani totius quinque conſtat hemiſpherijs plumbeo tegumento. Contra Baſilicam intervallo pedum 80. turris eſt eminentiſſima Tintinnabulorum, lata quaquaverſum 40. pedes, alta 230. cum alati ſummo in apice Genij ſigno ventorum Indice, quoniam verſatile eſt, & aura quavis circumagitur. Sublime faſtigium totum aureis veſtitur tegulis, quarum fulgor Solis repercuſſu longiſſimè conſpicuus eſt. Multa præterea de hoc ſumptuoſiſſimo ditiſſimoque templo ſcribi poſſent, vti quoque de Curia magnificentiſſima coniuncta, in qua Dux habitat & Conſiliarij coeunt præcipuè vero de Comitio illius longe ampliſſimo, nobiliſſimiſque ſummorum pictorum operibus exornato, cum arcano Armamentario, mirabilique Armorum itemque Spoliorum, quæ varijs è bellis relata ſunt, & aliarum inſuper rerū ſingularium copia, conferto, Vicos habet quam plurimos, totidemque propemodum Euripos vt vniuerſa, tam pedibus, quam naviculis peragrari queat. Vicos ipſos Rivi dividunt, ac tranſitus vbique pontibus iūgitur, vel ligneis vel lapideis, quorum in vniverſum, tam publici, quam privati 400. cenſentur. Præcipuus vero eſt Euripus, Canale Magnum vocant, qui vrbem totam interſecat, & circa medium ligneo pont. maximis Tabernis vtrinque tanquam Spondis conſtipato iungitur, is propemodum pons, in vrbis vmbilico ſitus eſt ponſq; Riui Alti dicitur. Ante caput eius alterum, area modica panditur, vndique concluſa porticibus vbi Tabernæ, cū venali panno, certiſque diurnis horis mercatores ad negotia tractanda huc conveniunt. Euripus ille Magnus,

qua

qua vrbem permeat, longitudine ferme paſſ.1300. colligit: Tranſmiſſus habet locis ter denis, ad quæ naviculariorum certus numerus conſidet: etiam ipſi Traiectus vocant, ſuntque commodis inter ſe ſpatijs diviſi, maxima opportunitate: quoniam cum vnus tantum Pons Rivum hunc iungat, niſi naviculis paſſim tranſmiſſio fieret, multis magno incommodo, circumeunda pontis eſſet via; in latum patet pedes 40. totuſque ſplendidiſſimis ędibus vtrinque clauſus eſt, quæ ſummum omnino ornatum delectationemque ac admirationem habent, quanquam huiuſmodi magnificis ædibus vrbs conferta ſit tota. Navicularum, qua civitas peragratur, numerus octo mill. amplius eſſe putatur Gondolas vocant, quarum pleræque meritoriæ ſunt, cæterę Patritiorum aliorumque civium. Eſt etiam intra vrbis ambitum Navale locus P. M. duorum circuitu mœnibus vndique validis munitus & cum opportunis ad cuſtodiam turribus, quem Arſenale vocant. Intus 400. hominum operis, perpetuo naves ędificantur, quorum ſtipendia 1200. in hebdomadam aureorum nummum ſunt: iuxta locus alius Tana, funium & rudentum intorquendorum ad naves officina. Navali in ipſo navium longarū, quæ in pōtibus ad omnem occaſionē paratę perpetuo ſtāt, numerus ad 200. eſt, alia navigia minora; maioris profecto admirationis locus ſpectari haud queat, vnde vires opeſque & amplitudo rei Venetæ quæ profecto Italici nominis gloria decuſque ſola eſt) facilè poſſunt intelligi. Officinarum quæ in hoc Navali ſunt, item apparatus artificumque plena narratio longiſſima profecto foret, ac propemodum infinita. Multas quotannis naves Veneti, varias in orbis partes negociandi cauſa mittunt, vnde maximum reipubl. vectigal accedit, adeo vt ex Portorio Vini, Salis, Olei, caſei, cæteręque ſimilis annonæ millies ſeſtertium ferè capiat, præter vrbium aliarum, quæ in ditione ſunt, vectigalia. De numero Patritiorum Donatus Ianotius Florentinus in libro de Repub. Veneta, vicies mille propemodum Lares ſeu familias hac in vrbe eſſe, quarum ſingulæ ſi binos homines pręſtent, qui ferendis armis idonei ſint, numerus efficitur 40. millium; Patritios autem ad tria millia reperiri ſcribit. De reipubl Venetæ opibus ex eo quis ſolum iudicare poteſt, quod Duci vt maiori fulgeat pompa, ſingulis annis 35. mille aurei nummi numerentur, quos in appatatus regios & magnificentiam expendat. Numerantur Venetijs Turres ſacri 115. Organa 104. Oratoria 18. Hoſpitalia 17. Fora publica 54. Palatia 110. Horti 157. Fontes publici 148. Pontes publici, exceptis privatis 450. Tot enim Canales habet, quot vicos, & in æſtuaria 20. flumina influunt. Singulis etiam ſenis horis fit fluxus & refluxus maris, qui non patitur in tanta cœni altitudine pernicioſum aliquid concreſcere: Statuæ marmoreæ 164. Statuæ æneæ 23. Equi ænei 9. Portę æneæ 10. Scholę 7. Ab his omnibus excipiuntur inſulæ circumvicinæ, in quibus 12. Monaſteria Monachorum, vnum Veſtalium, 14. Turres & 5. Statuæ. Iuſularum vero omnium maxima & famoſiſſima eſt Muranum, vbi inſignium vitriariorum Tabernæ, ij candentem materiam è

forna-

fornacibus deprõptam, ferreis fiſtulis adhęrẽtem, vel vno vel altero flatu in Calices, Pateras, aut in quam velint poculi formã magnitudinemve mira dexteritate confeſtim reducunt. Varietate, tũ artificio ac materia exquiſita exuperant hæc Muranenſia, quam longiſſimè, cætera totius orbis vaſa vitrea, atq; imitantur, tam claritate perſpicua, quam ſplendore cryſtallum naturale, vt merito cryſtallina vocentur. Artifices etiam indies ornamenta, nova rationeſque ad antiquitatis imitationem variè figurandi præſtantiores excogitant, coloreſque quoſcumq; mirabili induſtria reddunt, auro, argento, cęlatura, ſignis ac gemmis exornant; & aquæ candentem intingendo materiam, pocula faciunt, quæ prorſus ex tenetrima glacie ſua ſponte concreta videntur, & quæ in æſtu algorem intuentibus excitant. Et tinctura quidem imitantur veterum himatiria, myrrhina, obſidiania, hyacinthina ac ſapphirina vaſa potoria non tantum, ſed & eſcaria omnis generis capaciſſima, quæ quidem hiſtoriarum encauſticis tam eleganter adornant, vt Plinium ipſum, ſi reviviſcens ea videret, obſtupefacerent: meritoque is iudicaret, aureorum argenteorumque precia atque vſum niſi fragilia eſſent, hæc diminuere poſſe. Videtur in ijs Tabernis, immenſa ac varia vitreæ ſupellectilis copia: infinita poculorum ac capacium vaſorũ ſpecies, non ad menſæ tantum delicias, ſed ad quemvis alium vſum excogitatas, nempe Pelves, Luteres, Cacabi, Matulæ, Gutti ingentes, Phaſeli, atque roſtratæ, Tormenta bellicaca, ſtella, Turres: imo Carpenta & organa muſica ex vitro, perfecta dimenſione conflata, In inſula D. Georgij quingẽtis ab vrbe paſſibus è regione D. Marci poſita, ſumptuoſiſſimum eſt monaſterium, tẽplo marmoreo elegantiſſimaque ædificiorum ſtructura celebre, in cuius æde ſacra, Tabulæ, Statuæ, Donaria ampliſſima, ſepulchra Ducum ac Principum ſpectantur; cœnobium longiſſimas habet Porticus, Atria, cœnacula, cubicula; bibliothecam inſtructam, necnon hortos excultos & admodum ſpacioſos. Ad mare ædificium eſt ampliſſimum, in quo 32. Furni, coquendo pane nautico, qui fit aſſiduè die noctuq;: non convenit propter peregrinantes præterire, quod Veneti ſolent feſtum Aſcenſionis Domini maxima pompa celebrare, eaque & Nativitatis Domini die, immenſum & admirandum theſaurum D. Marci quotannis populo intuendum præbere: in eo ſeſto moris eſt, à longa maiorum conſuetudine, Principem cum maioribus Senatus in navi reipub. pulcherrima (Itali Bucentoro vocant) auro purpuraque indutis, in altum tranſcendere mare, inque ipſo maris introitu prope caſtella æſtuarij multis ceremonijs ab Epiſcopo peractis, ad deſponſandum ſibi mare, in perpetuum dominium aureum annulum inijcere, qua in ſolennitate incredibilis copia navigiorum, cymbarumque multa millia adeo vt æſtuarium ferè tegatur, videre licet. Vide Tabellam Fori Iulij.

Margera	4	Meſtre	2	Simul 6.

MESTRESIVM vulgo Meſtre ad Muſonis fluvij ripam non procul ab eius oſtio, ac Venetorum ſtagnis quibus illabitur. Opulentum quondam emporium, ſtatis nundinis frequens, & celebre, excultum ædificijs publicis atque privatis, veluti ruinæ demonſtrant: ſed ſuperiorum temporum bella impenſa vaſtarunt illud, vt iam vile ſtabulariorum, atque nautarum municipium quoddam eſſe videatur. Vide dictam Tabellam.

Treviſo	12

TARVISIVM vulgo Treviſo vrbs: Totilæ regis Gothorum fuiſſe patria proditur, nec antiquior eius vrbis apud veteres auctores memoria reperitur. Sedes poſtea fuit Langebardorum principum & Marchionatus titulo gaudebat. Ædificia quidem vetera demonſtrant olim admodum floruiſſe, licet aliquando Rotharis Langebardi, Acciolini tyranni, aliorumque iniurias ſenſerit, ædificiorum forma fontiumque, hinc inde ſcaturientium copia perpulchra vrbs eſt. Fluminis Cataractæ hic ingenioſe factæ ſunt, ſicut & muri, aggeres, propugnacula & foſſæ, quibus vrbem magnis impenſis Veneti munierunt poſt vltima bella quæ cum Vicinis geſſere. Tarviſium rebus ad vſum humanum vtilibus imprimis affluit, copia namque frumenti, vini cæterarumque frugum, & re pecuaria maximè abundat, Triticum eius agri candidiſſimum reddit panem, ſummaque vini nobilitas. Gens perhoneſta lautaque, ſublimibus & Vividis ingenijs, tam ad laterarum diſciplinas, quam ad opes querendas, aliaque luculenta ſtudiorum genera promptiſſima. Vide Tabellam dictam,

Colato	10	Ceneda	6	Seravale	3
				Simul	19.

SERAVALLIS vulgo Seravale nobiliſſimum eſt caſtellum inter colles, armorum bellicorum celebris officina, pannorumque vini & frumenti negociatione inclytum, & veluti emporium gentibus Germanicis ædificatum optimè lautoque populo confertum. Percurritur Imeſulo amne, aquis nitente. Plurimæ caſtellum ipſum officinæ cingunt. Equidem hoc oppidum ſive pulchritudinem & divitias, ſeu lautiſſimi populi frequentiam ſpectes, cum multis Italiæ civitatibus certat. Agrum periucundum habet vberemque, partim campeſtrem, partim collinum fertque tum frumentum & vinum, tum oleum ſuaviſſimum alioſque fructus optimos. Inter colles hic modicos, amœniſſimæ convalles, & in ijs lacuſculi quidam aquæ clariſſimæ, ſumma cum delectatione ſpectantur.

Plasburg	12	Baravel		Gaſthaus	
Lagarona	5	S. Martin	8	Nideſdorf	
Spital		Hayder		o. Bruneck	24

ITER ROMA SACILIVM.

Tarviſium vſque numerantur in præcedenti itinere milliaria	316.	Vide Tabellam Fori Iulij.		Cavena	7
		Conciano	12	o. Sacil	4

SACILE honeſtiſſimum ac ditiſſimum oppidum eſt, multis Italiæ civitatibus, cum lautitia tum populi frequentia non cedens; habetque ædificia ſplendida, Vide dictam Tabellam.

S. Vogada 11 o. Spilmbergo 10 Simul 21.

SPILIMBERGVM cum natura loci tum mœnibus & opere munitiſſimum eſt oppidum, itemque perlautum, opulentum & frequens. Vide dictam Tabellam.

S. Daniel 6

FANVM Danielis vulgo S. Daniel oppidum eſt nobiliſſimum præcelſo difficilique in monte. Vide dictam Tabellam.

Giemona 8 o. Venzono 5

VENTIONIS vicus vulgo Venzon, ditionis Venetorum & Ducum Auſtriæ, Stiriæ Carinthiaque terminus. Vide dictam Tabellam.

Scluſa	12	Sequentia ſunt milliaria Germanica.	Mal Borgetto	1½
Pontefella	6		Klein Tarvis	1

Terl

Terl	2	Arnoldſtein	1	o. Villach	2
				Simul Germ. mill.	$7\frac{1}{2}$.

VILLACVM veteres Forum Vibij dixere. Duabus vijs Alpes Forum Iulij cingentes patent, vna verſus Septentrionem, deſcenſu per iuga montium amni Sontio vicinorum, iuxta Villacum: altera verſus exortum Solis, per Gertrudis Lucum, vſque ad Lupianam vel Labatum amnem nunc Quietum.

ITER ROMA FANVM-VITI & VTINVM.

Venetias vſque numerãtur mill.	298.	Aladene	8	Fratina	6
Vide Tabellam Fori Iulij.		Cava	4	Brunavaca	5
		Torre de Caligo	4	o. S. Vido	5
Meſtre	6	La Motta	4		

FANVM VITI vulgo S. Vido perhoneſtum eſt oppidum Forij Iulij. Vide dictam Tabellam.

Codroipo	6	o. Vdene	12

VTINA vulgo Vdone vrbs eſt campeſtris ſitu, in colle ſcilicet hominum operis facto. Ad collis cui Arx permunita inſidet radices, forum eſt ſpacioſiſſimum, in quo mercatorum certis temporibus nundinarij conventus habentur: aliud prȩterea, Forum variæ cingunt artificum officinæ. Rebus ad vſum mortalium neceſſarijs affluit, cælo temperato, indigenis tum ſummi ingenij, tum admodum magnificis ac nobilibus.

ITER ROMA TISANAM, AQVILEGIAM, MONTEMFALCONIS, GRADISCAM, GORITIAM.

Venetias vſque numerantur mill.	298.	Ieſolo	18	o. Tiſana	12
Vide dictam Tabellam.		Citta nova	5		Simul 341.
		Briani	8		

TISANA munitiſſimum nobile, frequens, ac opulentum eſt Fori Iulij oppidum. Vide dictam Tabellam.

Preſmicho 6 o. Aquileia 13 Simul 19.

AQVILEGIA vulgo Aquileia vrbs, nunc infrequens colonis eſt, quę quondam in ſummo ſplendore ſummaque amplitudine fuit, Vide dictam Tabellam.

Monte Falcone 8

MONSFACONIS vulgo Monte Falcone, nobile frequenſque & opulentum Fori Iulij oppidum, pręcelſo & difficili in monte eſt. Iuxta oppidum fontes aquæ calidæ medicatæ ſunt.

Gradiſca 4

GRADISCA propugnaculum eſt, quondam à Venetis anno poſt C. N. 1472. cum Foliana ad tutelam fluminis Liſontij conditum. Foliana deſeri cœpit Turcarum natu ceſſante, Gradiſca vero etiamnum incolitur.

Goritia 7

GORITIA oppidum, Iulium Carnicum Ptolemęo dictum peropulentum ac nobile eſt. Loco natura munitiſſimo ſitum. Principes Goricini Archiducibus Auſtriæ parent.

ITER ROMA DVINVM, TERGESTEM, MVGILAM, CAPVT ISTRIÆ, INSVLAM PIRANVM.

Aquilegiam vſque numerãtur mill. 361	Tyhem 12	Duino 2	Simul 375.

DVINVM ædito in iugo munitiſſimum opulentum ac nobile eſt Caſtellum. Vide dictam Tabellam.

S. Paul 3 Broſeck 4 o. Trieſt 3

Simul 10

TRE-

TERGESTE vulgo Trieſt, colonia Romanorum in decima regione Plinio dicta. Strabo ſcribit Aquileia ſtadijs 180. diſtare, ſed Plinius alter M. P. fere XXXIII. Mentionem Tergeſtis Cæſar in Commētarijs facit, vnde vetus hic inſcriptio ſupereſt talis. Imp. Ceſ. Coſſ. Deſig. Tert. III. Vir R.P.C. iterum murum turreſque fecit. Aliud ex veteri memoria de hac vrbe nihil invenitur vſque ad Henrici Danduli tempora Venetorum Ducis, à quo tributariam effectam, vna cum Mugila, quod Tergeſtini Mugelianique latrocinijs infeſtum habuerant mare Blondus auctor eſt. Poſt in Archiducum Auſtriæ imperio fuit vſque ad Annum 1507. quo à Venetis ſubacta ductu auſpicijſque Bartholomei Alviani, in eorum poteſtate biennio ſtetit, dein autem ad Imp. Maximiliani ditionem redijt, & nunc ab Archiducibus Auſtrię poſſidetur.

Mugila 3

MVGILA oppidum eſt Fori Iulij.

Cauo dIſtria 4

Civitas CAPVT ISTRIÆ doctis Iuſtinopolis vulgo Cauo dIſtria dicta, parvam inſulam occupat longam paſſ. mille, latitudine modica, trino Teli iactu ab continentę diviſa, cum vetuſta circa medium Arce quaternis Turribus munita, marique circumfuſo mirificè tuta, cuius è terra tranſitus, verſatilibus Pontibus eſt connexus; caſtellum vocant Leoninum. Agro eſt bono, haud ignobili vino, oleo Saleque fœcundum. Vide Tabellam Iſtriæ.

Iſola 2

INSVLA caſtellum, temporibus ijſdem quibus & Iuſtino polis conditum eſt. Nomen Halieti quo primo nuncupatum fuit, & Aquila ſignificatur non tenuit, ſed Inſulæ, quoniam eiuſmodi conditionē habuit ſemper. Ad continentem lapideo ponte connectitur. Vide dictam Tabellam.

Piran 5

PIRANVM oppidum eſt luculenter ædificatum poſt Athilæ vaſtationem. Iacet ad collem, leva Sinus quem vocant Largonem. Vide Tabellam Iſtriæ.

Humago 9

VMACVM vulgo Humago in ſcopulo maris eſt, vndis circumfuſum, agro fere vniverſo plano arationibus & ſylvis munifico. Vide dictam Tabellam.

Citta nova 6

CIVITAS NOVA propter Æmoniæ vt perhibent interitum ædificata eſt. Vide dictam Tabellam.

Parenzo 13

PARENTINVM civitas iacet in peninſula, mari fere circumfuſa tota; mœnibus ac turribus eximijs munita. Portum habet maximis quibuſque navibus excipiendis opportunũ, obiectũ, inſulæ D. Nicolai, in qua cœnobium, & Turris antiquiſſima rotunda, quondam vſu luminis, quod navigantibus iter in portum præmonſtrabat habita. Vide dictam Tabellam.

Rovigno

ROVINIVM oppidum eſt in inſula cuius altiſſimo cacumini D. Euphemię templum inſidet. Inſula cuircuitu P. M. complectitur, & continenti lapideo ponte connexa eſt. Portus habet duos Rovinium; vnus vallis Boreæ dicitur alter in Auſtrum Africumque converſus eſt, quem inſulæ creant, vna earũ D. Catharinæ dicta quingentis ferè paſſ. altera D. Andreæ bis mille paſſ. à Rovinio diſiunctæ, cum alia D. Ioannis Pelagici, duobus item paſſ. millibus à D. Andreæ inſula. Tribus in his inſulis minus grave eſt cælum. In Rovinienſi agro marmor cæditur, quod Italia tota in precio habet, Iſtricumque vocat. Vide dictam Tabellam.

Pola 14

POLA pervetuſta munitaque civitas, Tergeſte mill. centum abeſt. Ancona, traiectu maris 220. Eſt in monte cuius celſiſſimum cacumen, vrbis medio elatum, permunitam Arcem habuit quondam, vt nunc ruinæ teſtãtur, vbi etiamnum ingens ciſterna pluvijs aquis ſervandis ſupereſt. Priſca quædam adhuc opera ſummam loci antiquitatem indicant, vti Amphitheatrum ex lapide quadrato, ſuperioribus annis Sedilibus perpulchris ſpoliatum; item aliud ampliſſimum ædificium ſemirutum, nunc Zadrum vocant, quæ extra muros ſunt: cum antiquis monumentis complurimis, vt marmoribus, porphyreticis, opheticiſque ac marmoris præcioſi columnis & ſepulchris, tum intra muros, tum extra permultis.

ITER ROMA CERVIAM.

Ceſenam vſque numerãtur mill. 187.	Vide Tabellam Romandiolæ.	o. Cervia 9 Simul 196.

CERVIA quondam dicta Phylocolis civitas eſt infrequens, loco paluſtri cæloque gravi, inſtar illarum priſcæ memoriæ videtur habere, quum vt Halycarnaſſeus ſcribit, aggeribus tantum arborumque truncis caſæ aliquot, levi materia, vel arundine, vel ſtramento excitatæ, quibus homines habitabant circundabantur. Cathedrale templum habet ædis rusticanæ forma, quanquam magno opimoque reditu dotatum ſit. Prope Fanum vetus apparet ſepulcrum ex candido marmore,, forma pyramidali, longitudine pedum ſenum, in quod eleganter ſculpti ſunt duo pueri ſtantes merenteſque, manu vna facem accenſam ad pedes converſam, altera coronam tenentes, cum inſcriptione media, M. AVR. MACE. VET. NAT. DELIN. ex ſub opt. ſibi & anno victoriæ liberatæ, Vivus poſuit. Si quis hanc arc. P. ex F. S. S. S. S. A. D. F. C. Opus eſt admodum vetus, vt literæ vix legi poſſint. Aliud antiquitatis veſtigium hic invenitur nullum. Sal æſtivis menſibus ex aqua marina, concreta, Soliſque ardore qui his in locis eſt excocta, mirabili ac tanta copia fit, vt Romanulæ ac Marchiæ Anconitanæ, maiorique Lombardiæ parti ſufficiat, vnde vectigal immenſum Pontif. Roman. quotannis, nempe ſupra LX. mill. aureorum nummum percipit.

ITER ROMA GRADARIAM, ET CATOLICAM.

Vrbinum vſque numerantur mill. 137.	Vide Tabellam Romandiolæ. Hoſp. Foglia 8	o. Gradaro 8 Simul 153.

GRADARIA vulgo Gradaro, ſplendidum ac munitum eſt Palatium, ab amœnitate iucunditateque tanquam gratus aer ita nuncupatum. Collis ipſe vitibus arboribuſque fructiferis eſt cinctus. Ad pedem aquula naſcitur, quæ viam dein ipſam & agrum Piſaurienſem ab Ariminenſi dividit, ponteque lapideo iuncta, mox in mare præcipitat. Vide dictam Tabellam.

Catholica	4

CATHOLICA vicus eſt, Tabernis diverſorijs conſtans, cum Arce ſatis firma. Spectātur hic ſub Aquis mari quieto atque conſiſtente mœnia, turriumque aliorumq; ædificiorum faſtigia, pridem demerſæ vrbis Concæ.

ITER ROMA PISAVRVM.

Vrbinum vſque numerantur mill. 137. Vide Tab. Marchiæ Anconit.	Ballo	5	o. Paſaro	5
	Capo	2		Simul 152.
	Poacium	3		

PISAVRVM vulgo Peſaro ædificijs atque plateis perelegans mercimonijs dives, emporiumque Italiæ celebre, ad cuius nundinas frequens mercatorum fit concurſus ex varijs provincijs ſtatis annis temporibus. Portus tamen vrbis illius, propter vada & arenas, onuſta & maiora navigia non admittit: vt ab Agaſonibus ac mulionibus, qui merces invehunt, magis quam à nautis vrbs frequentetur. Hic eſt Armamentarium Ducis, bellicorum inſtrumentorum, armorumque elegantiſſimorum copia & varietate inſtructiſſimum. Territorium vrbis fertiliſſimum vini, olei, & ficuum præſertim tanta ibi copia vt exſiccentur, & in remota loca exportentur.

ITER ROMA FANVM.

Vrbinum vſque numeran- mill. 137.	Vide dictam Tabellam.		o. Fano	4
	Caregnan	12		Simul 153.

FANVM à celebri quondam Fortunæ templo nominatum oppidum non ignobile eſt, in via Flaminia poſitum, in agro bono fertilique, oleo perſuavi, frumento vinoque præſtantiſſimo abundanti. Coloniam eo deductam ab Auguſto colligunt plures, cum is vt Suetonius ſcribit, duo de triginta Colonias deduxerit, & ab ipſius nomine hanc coloniam Iuliam Fauestrem appellatam antiquitus fuiſſe, Pomponius Mela, & plures antiquæ inſcriptiones, teſtentur, quæ ibidem repertæ ſunt. Eandem ab Auguſto cinctam muro, & à Conſtantini Magni filijs Conſtantio & Cōſtante reſtauratam fuiſſe, demonſtrant muri vetuſti, reliquiæ & arcus marmoreus portæ,

qua

qua per Flaminiam Roma venientes intrant, pulcherrimè & magnificentiſſimè cum ſuis titulis elaboratus: qui integer ferè ad Pij ſecundi Pontif. Rom. tempora permanſerat. Tum bello contra Fanenſes, tormentis fere dirutus, cuius tamẽ effigies in proximo ſacello Divi Michaelis ad rei memoriam inſculpta parieti eſt, impenſa publica Fanenſium. Apparent item in oppido marmora cum titulis vetuſtæ ædis Fortunæ, aliorumq; publicorum ædificiorum veſtigia multa, quamvis Gothicis varijſque cladibus alijs ſæpius deſtructum fuerit.

ITER ROMA SPOLETIVM, CAMERINVM.

Interamniam vulgo Terni	Vrbinum, &c. mill.	55.	o. Spoleto	8
numerantur in Itinere Roma	Hoſp. Strettura	8		Simul 71.

SPOLETIVM vulgo Spoleto vrbs eſt ſplendida & rerum copia imprimis abundans, quæ Langebardorum Principum diu ſedes fuit, Ducatus Vmbriæ titulo inſignis. Atqui multis ante ætatibus fuerat illuſtris, & firma colonia Latina velut Cicero in Balbiana teſtatur: quam Vmbris devictis populus Rom. deduxit triennio poſt Brunduſium. Quæ poſt cladem ad Traſimemum acceptam, Annibalem Victorem, auſa repellere, eundem docuit, ex vnius coloniæ viribus conijcere, quanta moles, Romanæ vrbis eſſet: quum plurimis ſuorum amiſſis, inde ſigna vertere moxque in Picentinorum fines traducere exercitum cogeretur. Floruiſſe admodum ſtante Romano Imperio, vetera ædificia, & antiquitates adhuc reſiduæ demonſtrant. Ampliſſimum nempe Theodorici Gothorum regis palatium, ab ipſis tamen Gothis, poſt cum regia deſtructum, ſed à Narſete Iuſtiniani Imp. Legato reſtauratum. Item Theatri fundamenta. Concordiæ fanum: Forma extra vrbem ſublimes ac ſolidæ Aquęductuum, ex Apennini coſtis, partim exciſæ, partim opere lateritio ex ima valle Fornicibus in altum ſubductis. Atqui imprimis ſuſpiciunt Hoſpites maioris Baſilicæ ardua tecta, marmoreoſq; parietes: arcem in Amphitheatro conſtructam: pontemque lapideum, qui magno ingenio factus, pilis grandibus XXIIII. ſuſtinetur, & vrbis editiorem partem, arci, vel Amphitheatro, in alio colle poſito coniungi. Fontes habet Spoletium nonnullos, aquarum puritate & opere inſignes, præſertim eum qui in foro eſt. Vide Tabellam Ducatus Spoletini.

Paſſo di Spoleto	8	Varchiano	6	Simul 28.
Camera	4	Seravalle	10	

SERALLIS vulgo Serauale caſtellum eſt in ſtrictiſſimis Apennini faucibus ſitum. Vide Tabellam Marchiæ Anconitanæ.

Varano	6	Sentino	80.	Camerino	4
				Simul	18.

CAMERINVM vetus & frequens eſt civitas in Apennini iugo, munitiſſimo loco ſita. Camerini Dux à Paulo tertio Pontif. Rom. creatus fuit circa annum 1539. Octavius nepos, ex Petro Aloyſio filio, Caſtri Duce. Vide dictam Tabellam.

Burgano	8	Stavolo	6	o. Senegalia	4
S. Severino	6	Belvedere	11	Simul	51.
Montechio	12	M. Albeto	4		

SENEGALLIA vulgo Senagalia eſt oppidum celebre & pervetuſtum, Sena prius à conditoribus Gallis Senonibus, dein ad differentiam alterius eiuſdem nominis quæ in Etruria eſt, Sena Galliæ nuncupatum, cum adhuc Æſis fluvius Italiam à Gallia Ciſalpina diſcerneret. Hinc P. Dolobella conſule Senonibus ad internecionem extinctis, eorumque agris occupatis, Romanorum eſt colonia facta, ſimul cum caſtro & Hadria: quo fere tempore, incluſis Vmbris, Italiæ limes, ab Æſi ad Rubiconem vſque perductus eſt. Senogallia parvum quidem eſt, oppidum, ſed foſſis, mœnibus, arce, præſidioque eximiè munitum. Ab vna parte planiciem habet fertiliſſimoſque agros; ab altera parte mare. Duci Vrbinati paret.

ITER ROMA, MACERATAM, AVXINVM.

Seravallem in precedenti itinere vſque numerantur milliaria.	81	Mucca	8	Tollentino	9
		Polverina		o. Macerata	11
		Valcimara	8	Simul	117.

MACE-

MACERATA vrbs caput eſt mediterraneæ Picem oræ, ex vetuſtis Heluię pecinæ ſiue Recannati macerijs extructa vt prouincię Picem præſidium eſſet et ſedes, et ideo etiã nũc ibi eſt Cãcellaria Legati Marchię Anconitanę. Sita eſt Macerata in monte ſatis alto, eiuſq; territorium ferax eſt vini & olei. Curia eius in magno prętio habetur, ſub qua carcer ad bene beateque Viuẽdum, vt inſcriptio docet, capaciſſimus. Vide dictam Tabellam.

Oſino 12

AVXIMVM vulgo Oſino antiqua civitas in colle, cuius radices alluit amnis. Livius Oximum nominat, Cẽſores Oximi Callatiæque murus fieri decreviſſe narrans. plurima hic non pridem epitaphia elogiaque reperta, ſummam loci vetuſtatem & priſcis temporibus auctoritatem indicant. Plinius Auximiati caſeo Primæ gradum ęſtimationis inter cętera laudata genera fuiſſe ſcribit. Ager circumiectus omnes nitidi colles ſunt, vitibus, oleis alijsque fructiferis arboribus veſtiti. Infra Auximium amœna ſternitur planities, frumenti mira vbertate fertilis. Vide dictam Tabellam.

o. Ancona 10

ANCONA vrbs eſt ædificijs nitida & opulenta, mercatura & negociantium inquilinorum frequentia copioſa. Quæ oppoſita promontorio Cumero, mari atque oportuniſſimo Portu à Septentrione clauditur, portis, propugnaculis atque muris vndique munitiſſima Pontif. Rom. induſtria, portus quidem ille capaciſſimus, cum natura ac promontorij ſitu, tum opere atque arte veterum clauſulis atque adeo tutus eſt, vt inter primos atque pulcherrimos orbis terrarum adhuc celebretur, quamvis horum atque ſuperiorum temporum ſupina neglig ẽtia, turpique auaritia quibusdam in locis oppleatur, extant adhuc magna ex parte marmorea Septa, quibus vndique veſtitus fuit. item ſuis interſtitijs columnæ ad quas naues alligabantur; gradus etiam perampli, per quos ad aquas deſcenditur, nec non onera ac merces extrahi è navibus evehique in terram ſolent, habuiſſe ſpacioſas porticus multis columnis innixas cognoſcitur ex nummis antiquis in honorem Traiani excuſis in quibus portus eiusdem forma effigiatus viſitur, & qualis olim fuerit, cum Neptuni ſigno arũdine coronati, in vndis ante fauces decumbẽtis iuxta delphinũ, cum nauis gubernaculo in dextra. Apparent catenæ duplices quibus fauces occludebãtur, & in ipſo Portu quinqueremis prætoria celoces, triremes, phaſeli, antiquæ naues multæ, in eius medio inter Porticus noſcitur arcus ille ſublimis quadrigis & tropheis in faſtigio onuſtus, à Senatu Populo-

que Romano in eius beneficij memoriam Traiano ibidem erectus, & adhuc temporis extans: qui licet quadrigis Tropheis imaginibus, ſignis literiſque æneis inauritis, omnibusque ſuis ornamentis ſit ſpoliatus quemadmodum ex veſtigijs in quibus ænea ſigna, literę, parerga, aliaque ſigilla marmoreo operi ſuis locis plumbo ferroque infixa fuere colligi poteſt non minus tamen quaſi nudæ Veneris ſimulachrum quoddam eximium ſpectantium oculos in admirationem rapit atque detinet: dum ſcilicet accurate conſiderant eius molis artificium pulchritudinem ac iuſtam ſymmetriam partium.

Quandoquidē numeris omnibus abſolutiſſimum corpus illud marmoreum, paucis immanium lapidum corijs id eſt ordinibus in altum æqua craſſitudine evehitur: atque tam frontis, quam laterũ vndiq; ſcenographiam perfectiſſimam venuſta cum quadam eurythmia repræſentat. Idque inprimis eximium videtur, architectique ſummam peritiam atque ſecuritatem oſtentat; quod arcus ipſius partes & ornamentorum membra quæque nimirũ ſtylobatę atque ſpinæ columnarũ item capitulorum abbaci plutei echini flores ac teniæ nec non faſtigij & apſidũ proiecturæ, faſciæ, coronæ, Zophori, triglyphi, cinnatia, ſunę ſic & titulorum tabulæ & quicquid eſt appendicum quibus arcus ſimilis exornari ſolet non foris adiuncta, ſed ex vaſtis marmorum quadris in quibus totum opus conſtat, ſint ſimul exſculpta, & artifice manu ad amuſſim expolita coagmentataque tam concinnè; vt inter quadrorum commiſſuras ne cultelli mucronem quis inſerere poſſet & ex vno Parij montis ſaxi totus arcus exciſus à longe videatur Elogium quod detractis æreis inauratis literis in arcus fronte ſuper apſidem extat cauſam declarat, cur eo loci Traiano Aug: eiusdemque coniugi Plotinæ & ſorori martianæ iam tum inter Divos relatę, in honorem exſtructus fuerit nempe quod acceſſum Italiæ, hoc etiam addito ex pecunia ſua portum tutiorem navigantibus reddiderit. Hic etiam viſuntur Arx, Portæ ac propugnacula, quibus aduerſus piratarum Turcarum impetus ac inſidias vrbs illa munita pridē fuit. primum Elementis VII. dein Pauli tertij ac ſucceſſorum Pontif. Rom. auſpicijs atque maximis impenſis, in Cumero promontorio, montem Anconitanum appellat Plinius, eſt cathedralę Diui Cyriaci fanum antiquum marmoribus raris atq; ſtructura ſumptuoſa peramplum & eximium, in cuius templi Sacrarijs quam plurimæ Divorum reliquiæ ac præcioſa donaria conſeruantur. Nō procul inde, in promontorio Veneris ædem fuiſſe ex Iuvenalis poetæ verſibus palā fit, cuius nullæ nunc viſuntur reliquiæ ex alto ibidem volupe ſit contemplari ſpacioſa maris æquora, vrbis ac portus curuaturam ac ſitum per continētem Apennini iuga, cui promontorium huc ita cohæret vt nonnulli eum illic finiri memoriæ prodiderint: monſtrantur huic vicinæ civitates, ac circumiacentia caſtella, & oppida; ſub promontorio ad littus Sirolũ nobili nunc etiam vino celebre; inter Apennini montes Vrbini & Auximi, aliorumque oppidorum ſitus Cin-

gulum

gulum T. Labieni ad Muſonis fluenta in colle poſitum qui C. Cæſaris proceſſ. Legatus in Gallijs, longo bello tantum ſibi corraſerat ex prædis diuitiarum vt oppidum hoc, priuata impenſa condiderit, cuius oppidi imago nummis argenteis expreſſa cum eius titulo extat. Invidioſas eius opes taxāt Cicero, & Valde. Max. Silius & Dio Nicæus alijque.

ITER ROMA RECINETVM,

Maceratam vſque numerā-	liaria	117.	Simul 128.
tur in præcedenti itinere mil-	o. Recanati	11	

RECINETVM vulgo Recanati emporium eſt recens ex vetuſtæ vrbis Helviæ reliquijs excitatum, ex cuius interitu ac ruinis etiam Maceratam exurrexiſſe volunt. Cuius vrbis ab Helvio Pertinace Aug. peramplitet olim reſtitutæ lateritium Amphitheatrum ingens, in ripa fluminis Potentiæ aliaq; ædificiorum magnorum veſtigia in itinere per agros monſtrantur, certis anni temporibus huc ad mercatum negotiatores ex omnibus propemodum Europæ, multiſque etiam Aſiæ partibus conveniunt. Agrum habet Recinetum perbonum ac nitidū totumque collinum, vitibus, Oleis alijſque fructiferis arboribus abundantem. Inter Recinetum & mare, haud procul à Muſone, inclytum toto Chriſtianorū orbe Fanum, in colle, D. Mariæ Lauretanæ iacet, fortiſſimo muro cinctum cum vico, quem ferè caupones ſtabularijque ac diverſorias Tabernas exercentes incolunt ad eos qui ex omni Europa quotidie præcipua, tamen frequentia primi veris & autumni temporibus, huc votorum cauſa veniunt, excipiendos.

ITER ROMA FIRMVM.

Valcimaram in præcedenti	Fiaſtra	6	Monte Verde	8
itinere vſque numerantur mil-	S. Maria in Giergio	6	Monte Gnidone	3
liaria 97.	Monte Falcone	7	o. Fermo	4
			Simul 131.	

FIR-

FIRMVM vulgo Fermo vrbem tanta apud finitimos exiſtimatione fuiſſe reperitur, vt vulgo proverbium decantaretur huiuſmodi: Quando Firmum vult firmare, totam Marchiam facit contremere. Dictum porro iſtud à mirifica omnium caſtellorum pagorumq; agri eius cum vrbe ipſa conſenſione proficiſcebatur, quod cum adverſus patriæ comunis hoſtes quicquam incidiſſet agendum, coloni oppidorum pagorumque, mox præſto eſſe civibus, parique ac eadem voluntate expeditionem ſuſcipere ſolerēt, quo fiebat vt vel numeroſiſſimos exercitus contemnere poſſent. Sed ante annos aliquot civium in comitatenſes (ita caſtellorum habitatores vocant) exortum odium, armis ipſis, quæ prius conjuncta patriæ communes iniurias magna cum gloria vindicare conſueverant, in ſe mutuo converſis, tantas calamitates & vrbi & diœceſi importavit, vt vtramque penè deleverit. Ager pulchritudine, bonitate: & fructiferarum arborum vtpote medicarum, ficuum, olearum, vbertatis ſummæ vitium etiam generoſi ſucci frequentia nobilis: breviter vrbs eſt omnibus rebus ad vitam neceſſarijs affatim naturæ munere dotata. Multos illuſtres & claros viros edidit, præcipueque Lactantium, vt quidam volūt, Firmianum à patria cognominatum.

ITER ROMA TIBVR, AQVILAM, CANTALVPVM.

Vide Tabellam Latij.

C. S. Silveſtro	6	Torre	4	o. Tivoli	6
				Simul	16.

TYBVR vulgo Tiroli venuſta Latij vrbs eſt, olim herculea vocitata, quod herculem præcipuè Tyburtes colerent eoque certa quotannis feſta die, maxima populorum multitudo conflueret. Quę etiam Cataracta nuncupata legitur, ob vicinas loci anguſtias, vnde fluuius Anio præcipitat vbi primum navigabilis eſſe incipit. Cœlum habet temperatiſſimum quapropter ſuperioribus ſæculis aulæ Romanæ primores hic æſtatis ferventiſſima tempora ſoliti ſunt exigere. Famam Tyburis, Sibylla Albumea Tyburtina cognominata, quod iuxta fontē Albuneam prope Tybur eſſet nata, plurimum illuſtravit. Eam ad Anienem divinis honoribus cultam fuiſſe reperitur, in quo amne poſtea ſimulachrum eius, librum manu tenens inventum eſt. Infra Tybur, haud procul multa vetuſtatis inveniuntur monumenta interque cætera marmor inſigne, in quo Leo cum Equo tam apertè commiſſus exprimitur vt vera vivaq; pugna videatur. In lęva, propinquo loco, iuxta pedem montis ruinæ apparent

rent mirificæ ac peringentes, villæ Tyburtinæ, quam Adrianus Imperator immenſis ſumptibus ædificaverat ita vt Provinciarum & locorum celeberrimus nominibus inſcriptis veluti Lycium, Academiam, Pritanium, Canopum Pecle ac Tempe partes vocaret. Circa Tybur Latomiæ ſunt vbi lapis Tyburtinus cæditur: ex hoc & ex Sabio, maior ſplendidorum ædificiorum pars vrbis Romæ conſtitit Subiecta Tyburi planicies, propter Anienem, plurimis aquulis gelidis ſcaturit, quas Albulas vocant multa medica virtute cũ potæ tum balneo adhibitæ pollentes. Ad viam qua Tybure Romam itur, quibuſdam locis candentes generantur Lapilli dulciarijs condituris velut Amygdalarum, Coriandri Aniſſ, Cinamonij ac id genus alijs ſimillimi adeo quidem vt nõ niſi à prudentibus diſcerni queant. Vide Tabellam Marchiæ Anconitanæ

Nomento	10	Melari	12	o. Aquila	8
Rio freddo	6	Corvaro	6		
					Simul 42.

A Q V I L A civitas in alto monte eſt. Recentem eſſe non ambigitur; de tempore quo incepta certi omnino nihil invenitur. Sita eſt in regni Neapolitani finibus, quamobrem perſæpe ſe in Rom: Põtif. Gallorumve in Italiam irrumpentium poteſtatem dedere conata eſt vnde ingentes ſępe calamitates ſibi ipſa accivit. Ager vrbis, cũ aliarum rerũ tum maxime Croci mira copia fœcundus eſt, ex quo proventus (vt refertur) quotannis ferme XL. millium aureorum nummum capitur. Vide Tabellam A B R V Z Z Y

Carapello	6	Vettorito	7	Tocco	4
Raiano	6	Populai	7	o. Cantalupo	6
					Simul 36.

C A N T A L V P V M exiguum eſt oppidum circa montis pedem ſub quo mirabilis ſcatebra laticis quod oleum petronicum vocatur, ac diligentiſſime colligi ob virtutem facultatemque medicam ſolet. Vide dictam Tabellam

Luco	4	Petravico	7	Moſculo	9
Torre	4	Alardo	8	o. Thieti	4
					Simul 36.

THIETI Straboni Theate dicta civitas eſt edito in colle à mari P.M.V I I. in Pelignis. Dirutum Theate à Pipino Caroli magni patre legitur, quod rebus Langebardicis perpetuo ſtuduiſſet. reſtauratum vero poſt, adeo Normannis ob loci amœnitatem placuit, vt præ cæteris omnibus Aprutij vrbibus ſedem hic potiſſimè collocarent.

ITER ROMA PRENESTE, ALBAM, AVFIDENAM, TRIVENTVM, MONTEMDORISIVM, ET GVASTVM AIMONIVM.

Vide Tabellam Latij.

Caſal di S. Lorenzo	8	Zagarolo	10	Simul 31.
S. Silveſtro	8	o. Pilaſtorina	5	

PRENESTE vulgo Pilaſtrina in ſupercilio montis antiquiſſima ſedes Abvrigtuum, tantæ eſt antiquitatis vt de eius exordio & conditore non conſentiant auctores & diuerſi diuerſa tradant. A coronis nomen hoc oppidum accepiſſe conſtat ita ex oraculo & occaſione ſui ortus, quam propter votivas multorum coronas, quibus inclytum ibi antiquiſſima ſortium religone templum fortunæ frequentabatur quod quidem florente Romano Imperio fuit admodum celebre ſumptuoſaque ſtructura permagnificum ſicut ex reliquijs adhuc colligi poteſt. Videntur ibi fortunarum ſigna & imagines plurimæ tam ex ęre quam ex marmore ac etiam ex terra cocta fictiles pulcherrimæ diuerſisque ſiymbolis multiformes. Sic etiam coronæ varij generis, ac nummi ære grandes characteribus ac notis ſortium multiplicibus efformati. Item Aræ Tabulæ, ac cippi marmorei cum ſuis elogijs & inſcriptionibus, ex voto ibidem fortunæ, Iovi puero, Spei, Cupidinibus alijsque dijs conſecratæ. Quod initium habuerit antiquiſſima hæc ſortium ſuperſtitio pulchre explicat ex Preneſtinorum ipſis monumentis Cicero de divinatione libro ſecũdo. N. Suffucium nobilem preneſtinũ ſomnijs crebris ac minacibus iuſſum, certo loco Silicem civibus ridentibus excidiſſe: vbi perfracto ſaxo, ſortes eruperunt, in robore ſculptæ, priſcarum literarum, notis quarum occaſione Fortuna ibidem coli cœpit. Septum deinde locum fuiſſe religiosè, propter Iovis pueri ſimulachrum qui lactens cum Iunone in gremio Fortunę ſedens, mammam appetens ibi caſtiſſimè colebatur à matribus. Eodem tempore vbi poſt Fortunæ templum conditum eſt, mel ex olea fluxiſſet; & haruſpicũ juſſu ex eadem arbore factam Arcam, in eaque conditas ſortes illas, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miſcebantur

bantur educebanturque. Fani pulchritudo & vetuſtas nõn tantum Ciceronis tempore, verum etiam ad extrema fere Romani Imperij tempora ſortium illarum oracula celebrarunt: atque originem habuiſſe antiquiſſimã, tam ex ipſo Cicerone, quam ex alijs colligitur. Libera & fœderata primum Romanis ciuitas Preneſte fuit, Pretoremque ſuum habuit; vt ex Liuio cognoſcitur, quam Feſtus municipium ſui iuris vocat. Appianus Italico bello cum Tiburtinis in civitatem acceptos Preneſtinos diſerte ſcribit. Non tamen diu poſt L: Sylla victor, quantũ ex Tullij Agrauia & Catilinaria colligitur, oppido cœdibus atq; pſcriptionibus exhauſto colonos impoſuit agrũque eorum omnem diviſit. At apud A. Gellium legitur Preneſtinos à Tiberio Aug. denique impetraſſe, vt ex colonia in priſtinum municipij ſtatum redigerentur. Quæ cæteris vrbibus commoditati bonoque eſſe ſolent, loci munitiſſimi natura mœniorumque firmitas, ea huic oppido calamitati exitioque fuere propter civilia Romanorum bella: cõfugientibus enim huc factioſis hominibus obſidioneque poſtea victis, & vrbem devaſtari & agrũ eius alienari contigit. Sed & poſteriori ævo euerſum fuit à Bonifacio VIII Pontif. Rom. quod in gentis Columnæ ditione eſſet, quam odio proſequebatur Bonifacius. Iterum tamen inſtauratum eſt cumque poſt ibi ſe Põceletus & Nicolaus Fortebracius Romano nomini infenſi muniviſſent denuo à Romanis æquatum ſolo fuit. Nunc reſtitutum quidem eſt, eodẽ in loco, ſed nec vt prius munitum eſt, nec amplitudinem habet veterem, quod murorum ingentia veſtigia demonſtrant quæ locis vndique circumiectis etiamnum apparent. Situs eius olim longe fuit & amœniſſimus & iucundiſſimus ideoque florente re Romana, frequenter Imperatores Aug: huc animi cauſa ſeceſſiſſe reperimus. Vide Tabellam Latij.

Rocca S. Stephano	6	Camerata	3	o. Alba	5
Lauſta	4	Paterno	9		Simul 27.

Alba ciuitas ad exitum camporum Palentinorum tribus à lacu Geilano miliaribus in colle ad Apẽninum, verſus eſt, colonia Romanorum ſimul cũ Sora facta. Ager vrbis non æque frumentatius eſt, ac vbertate pomorum fructuoſus. Populus Rom. florente repub. locum hunc ijs, qui cuſtodiendi erant tanquam carceres aſſigvit quod altiſſimis circumiectorum montium rupibus vndique ceu Vallo ſeptus clauſuſque ſit, nunc ruinis tota propemodum collapſa iacet, vixque paucos vti deſoluta vrbs, colonos retinet. Mœniorum ex lapide quadrato partes quædam ſuperſunt vnde de veterum ædificiorum amplitudine coniectura fieri non difficulter poteſt. Vide Tabellam Aprutij

Marſica	8	Val regia	4	o. Auſidena	4
				Simul 16.	

Avfidena vrbs eſt antiquiſſima Taracenorum, vt Ptolemæus indicat, cuius etiam Liviua in C. Fulvij Conſulis fœlici ad Bovianum pugna meminit poſt eam ipſum Bovianum oppugnatum, breviq; vi captam Aufidenam narrans, Vide dictam Tabellam.

S. Maria de 5. Milibus	10	Palumbaro	11	Foſſa ſecca	5
Lunacello	8	Tripallo	4	Salceta	6
S. Petro de Avellana	8	o. Trigno	6	o. Trivento	4
		Bagnado	6	Simul 68.	

Triventvm nobile eſt oppidum Comitatus titulo inſigne. Vide dictam Tabellam.

Polutio	3	Borno	3	o. Monte Dorize	5
				Simul 11.	

Mons Doricvs modicum caſtellum, inſigne tamen eſt nomine comitatus. Vide dictam Tabellam.

Luparelle	2	Guaſto de Annone	5	Simul 7.

Gvastvm Aimonivm oppidum eſt pernobile, Hiſtonium etiam Ptolem. & Mela vocant, idque hoc eſſe tum Blondus Raſſanuſque cenſent, tum etiam antiquorum operum veſtigia, quæ hic ſuperſunt, maximeq; ſumptuoſij prætorij ac perpulchri Theatri, præterea locus ipſe comprobant. Ædes hic admodũ magnificas eximius belli Dux Antonius Caldora loci Marchio, quæ etiamnum apparent ædificavit: quarum in Atrio peringẽs & prodigioſæ vaſtitatis Os ex piſcis capite, cernitur, litore vicino repertum, inſtar craſſiſſimæ arboris trunci. Dominus peropulenti & frequentiſſimi caſtelli ſuperioribus annis fuit Alfonſus Daualus Aquinas Marchio, ſummus

mus belli Dux Caroli V. Imper. Aug. rerum præclarè geſtarum fama, non ſolum Italiæ, ſed vniverſæ Europæ Africæque notiſſimus.

ITER ROMA CELANVM.

Paterno vſque numerantur in præcedenti itinere mill. 22.		S. Iona	3	o. Celano	3
		S. Apetito	2		Simul 30.

CELANVM vulgo Celano alia oppida omnia vicina cum populi frequentia, tum opibus longe vincit, iuxta montium altiſſimorum radices ſitum modico in colle Meridiem verſus, Fucino lacui vulgatū, hac memoria nomen Celani præbuit, Lacus is interdum adeo redundare fertur, vt ad montium radices occupata planicie vniuerſa diffundatur, nonnūquam ſubſidere ac ſiccari, ita vt ea loca coli queant, id accidere quoniam abditis quibuſdam & ſubterraneis meatibus aquæ dilabantur atque dimanent. Piſcem in eo reperiri pinnis octo, cum cæteri quatuor tantum habeant, etiam à Plinio inter miracula commemoratur. Idem per Fucinum aquam Martiam tranſijſſe prodidit, omnium in vrbem adductarum ſaluberrimam & in hodiernum diem à Fucino Romam vſque eius Aquæductus ſtructi Fornices, ac ingentium operum quibus aqua perducebatur ruinæ, magna cum admiratione conſpiciuntur, in campis Palentinis qui ad lacum Fucinum pertingunt ceſæ ſunt Legiones Corradini Siciliæ regis à Carolo Andegavenſi rege Neapolitano, qui ad perpetuam eius pugnæ memoriam, cœnobium ibi cum templo ſumptuoſi operis ex lapide quadrato ſumma arte perfecto, D. Mariæ Victrici conſtituit, prædijs etiam amplis additis, ad ſacerdotum alimenta. Nunc id ædificium terræ motibus frequentibus cōquaſſatum iacet, adeoque nullam formam niſi ruinarum ingentium habet, quarum aſpectu ſimulque recordatione ſplendoris antiqui, nemo hercule non maxime commoveri queat.

ITER ROMA THVSCVLVM.

Vide Tabellam Latij.

Borgetto	11	Molaro	2	Simul 19.
Grotta ferrata	3	o. Tuſculo	2	

THVSCVLVM vulgo Tuſculo oppidum olim multis nominibus inſigne fuit ſplendidiſſimis item ædificiis, & vineis circum circa cultiſſimis, præſertim qua parte agri Romam ſpectabant, exornatũ. Ager Thuſculanus paulatim in altum porrigitur, ac inde deſcendentibus aquis irrigatur quamobrem & cum primis amœnus & fructuoſus eſt. Strabo ætate ſua villas in eo ſumptuoſiſſimas vndique fuiſſe prodidit. Plinius exemplum fortunæ varietatis inſigne de L. Furio Thuſculano refert, qui ſuæ ciuitatis conſul, ea, adverſus Romanos arma parante, Romam transfugit, ibique Conſul deſignatus, vno eodemq; anno, Romæ Thuſculiq; magiſtratũ illũ adeptus eſt, & de Thuſculanis, quoq; triumphauit. Inclinata vero iacenteq; póſt Imperij Romani fortuna, Thuſculanorum opes ac potentia adeo creverunt vt præter alias inſignes victorias, illam ex Romanis obtinuerit memorabilem, qua Raynouis Tyranni ductu cum Imperatoris Friderici Ænobarbi legionibus coniuncti nõ minorem Romanorum ſtragem edidere quam olim ad Cannas acciderat. Ea tamen res exitio illis fuit, quippe poſt annum ſeptimum memores iniuriæ Romani viribus omnibus repente Thuſculanos obruerunt, & vrbem flamma ferroque vaſtatam, æquarunt Solo, ex eo tempore paulatim in hodiernum vſque diem inſtaurari quidẽ cœpit, ſed amplitudine multis partibus minori. Vide Tabellam Latij.

Cava del aglieri		La Torre	5	o. Anagna	3
Hoſpitium	3	Ponte di Sacco	10	Simul	21.

ANAGNIA vulgo Anagna fuit olim longe potentiſſima, bellumque contra populum Rom. diu ſuſtinuit vti à Liuio traditur, itemque Dionyſio, ſigillatim maximas eius res geſtas perſcribente. in ea Antonius Auguſti ſorore Fulvia cõtempta, Cleopatram in vxorem accepit, nummumque percuti iuſſit. Non modo florente Rom. Imperio, ſed etiam poſteriori memoria perhoneſta fuit. Patria Bonifacij VIII Pontif. Rom. qui hic iuſſu Philippi pulchri Galliarum regis ab Sciarra Columna quem in exilium egerat, captus, Romamque ductus ibi vitam miſere finivit. Nunc Anagnia vrbs antiquiſſima ſemiruta prope ac deſoluta iacet. Vide Tabellam Aprutij.

Sambuco	7	Atino	3	S. Angelo	6
Peſtrono	6	Caſino	5	Gallo	5
Capiſtrello	4	S. Petro	6	Pretoria	8
Chiaveno	7	Venafro	8	Valentino	11

Marco-

Marcone	7	o. Sepino	4		Simul 87.

SEPINVM civitas eſt in Apennino, à Ptolemæo deſcripta. Sed & Plin. in quarta regione Sepinates memorat. Livius Papyrium gravi apud Sepinum conflictu victorem, ex hoſtibus 7. millia 300. cecidiſſe, 3. mill. c. piſſe, paſſim etiam eorum agro vaſtato ſcribit. Vrbem hanc Ferdinandi Primi Neapolitani regis temporibus Angelus Sepinas excellens Philoſophus & medicus plurimum illuſtravit qui apud Neapolitanos diu ſummo in honore vixit. Vide dictam Tabellam.

Altavilla	2

ALTAVILLA Principatus titulo clara eſt. Vide Tabellam Aprutij.

o. Montella	8	Bonalbergo	11	o. Luceria	12
					Simul 31.

LVCERIA exiguo in colle planis inſidenti campis eſt. Strabonis temporibus, diruta quidem iacebat. Minervę tamen Fano donis antiquiſſimis prędivite ſummam adhuc indicabat vetuſtatem. Veſtigia illa in hodiernum vſque diem vrbis amplitudinem priſcam docent. Nec ſolum hoc in loco, ſed etiam alijs vndique circumiectis ingentium operum Diomedis indicia conſpiciuntur ſummæ nimirum illius potentiæ monumenta: reſtitutam dein ex veteribus ruinis Luceriam, iterum conſtantius II. Conſtantini Imp. filius cum Langebardicis præſidijs occuparetur excidit; captam enim per vim atque direptam cæſis oppidanis omnibus etiam cremavit. Inſtaurata vero & poſt hanc cladem, quanquam haud ea magnitudine qua prius, cum Imp. Friderici temporibus infrequens habitatoribus eſſet, ab illo migrare primum iuſſis Chriſtianis præter Epiſcopum & viros duodenos omnibus Saracenis ex Africa deductis conceſſa eſt quamobrem Luceria Saracenorum cognominata. Maximis hic illa gens incrementis brevi ſpacio coaluit, adeo vt huius vrbis imperio non contenta, finitimos etiam agros populationibus incendioque vaſtaret, nullis prohibere audentibus quod Imp. Friderici, eiusque filij manfredi, quos Pontifices Rom. inimicos habebant gratia niterentur. Sed Manfredo à Carolo Andegauenſi Regis Galliæ Ludovici noni fratre occiſo Carolus regno Siciliæ cis & vltra Pharum potitus eſt. Eius autem filius Carolus ingentibus copijs contractis Bellum Ioanni Pipino, præſtantiſſimo duci mandat, qui admotis ad Luceriam caſtris, eam vi cepit, trucidatiſque Saracenis omnibus novum oppido nomen dedit, vt D. Mariæ civitas appellare-

tur

tur quanquam votus aboleri minime potuerit remanente in hunc vſque diem Luceriæ. Ager vrbis vino, tritico, hordeo, cæteriſque frugibus abundat, coloni, ſi Raſſano creditur peraſtuti varijq; ſunt, vt ſi ad virtutes & gloriam ingenium conferrent, quod calliditati ac malitię dant, inſignes excellenteſque genere ſtudiorum quovis evadere poſſent. Mercatus hic bini quotannis, conventu negociatorum ex Italia, Græcia, Sicilia, Illyrico alijsq; partibus frequentiſſimi habentur. Vide dictam Tabellam.

Pietra di Motta	10	Caſalnovo	10	Simul 38.
Caſtelluzo	10	o. Manfredonia	8	

Manfredonia civitas in ripa Sinus marini, quem Gargani montis flexus efficit, ſita eſt. Condidit Mãfredus Rex, Friderici II. Imp. filius Anno poſt N. C. 1200. Manfredoniamq; à ſe denominavit. Ædificatam ob Siponti interitũ conſtat) tranſlataque huc Archiepiſcopalis Siponti ſedes, vt Sipontini Antiſtitis nomen adhuc Mãfredoniano manet. Vrbs eſt Manfredonia cum Lauta, tũ populo frequens & honeſta. Invictam ad littus Arcem habet, quam Lotrechius Franciſci primi Galliarum regis Legatus, annis ſuperioribus multis Apuliæ locis expugnatis nulla ratione capere potuit. Moles extra muros in mari iacta, magnæ artis opus, ſecuram navibus ſtationem creat. A Manfredonia per oram mille paſſ. ad Gargani montis radices in rupe, Siponti ruinæ cernuntur: conditam à diomede Strabo prodit. Nunc plane collapſa iacet, vt veſtigia tamen ædificiorum eiuſmodi ſuperſint, ex quibus cognoſci manifeſto queat nobilem olim & magnificam fuiſſe. Summum quoque civitatis templum adhuc omnibus fere partibus integrum apparet, vbi principia ſumptuoſiſſimi Sacelli ex lapide quadrato, quæ poſtea deſerta ſunt. Circa litus inter ædificiorum ruinas fons exilit aquæ puriſſimæ, ſumne copioſus, ad mare decurrens, olim oppidanorum vſui percommodus. Garganus mons præcelſus valde eſt, & aſcenſu difficillimo, quo ſylvæ quædam peramœnæ reperiuntur, etſi quoque multis in locis arboribus plane careat, vbi tamen diuerſa ſalutiferarum & medicarum herbarum genera naſcuntur. Latere quo mare ſpectat vt Strabo demonſtravit, promontorium habet in exortum ſpatio CCC. ſtadiorum procurrens. Incipit ab Apennino, ex cuius radicibus iugum enaſcitur editiſſimum, latitudine P. M. duorum, longitudine XX. poſt quod ita paulatim mons ipſa aſſurgit, vt in ſummam (fructifer tamen) altitudinem, vaſtitatem amplitudinemque deſinat, In mare tam longe protenditur vt ambitu radicum, quas planities excipit ad CC. P. M. contineat, quanquam Plinius ſpatiũ hoc CXXXIIII. eſſe prodiderit. Multis in locis præceps & abruptus eſt, qua mare ſpectat, & promontoriũ paulo ſuperius ex Strabone commemoratum emittit quod, vt ille auctor eſt, Diomedem foſſa ad mare deducta dividere.

dere,& à continenti avellere conatum ferunt. Etſi domum accerſitus cum hoc, tum alia varia opera nec abſoluta reliquerit. Loca montis dicenda hæc ſunt: primum Lacus aliquot Piſcoſi, in eo reperiuntur, inter cæteros Varanus ambitu P. M. XXX. circum quem oppida Caprinum, Cognatium, Iſcitella. Tum in fronte promontorij Beſtia eſt civitas, ita vulgo dicta pro Veſta, quod nimirum hic olim ædes eſſet Veſtę, ſicut Raſſanus exiſtimat. Poſt X. millia Veſtice caſtellũ ſequitur, flexuq; illo promontorij toto emenſo Rode civitas Vreum Straboni vocata, modicum illius temporibus oppidum, Sunt qui Italica lingua Rore potius quam Rode dici debuiſſe cenſeant quod hic ſumma roris temperies, agros mire fœcundet, ac optimos arborum, ſuaviſſimoſque fructus efficiat. In montis Gargani vertice præcelſaque rupe oppidum eſt D. Angeli ita nominatum à ſpecu D. Michaeli Archangelo ſacra, Oppidum eſt frequens naturaq; munitum loci, rebus ad vitam neceſſarijs, quæ montano hoc ſitu proveniunt abundans ideoque diu Saracenorum cum ſumma Chriſtiani nominis cõtumelia ſedes fuit. Inter agri dotes cæteras, vinum optimum vermiculatum habet. Crypta eſt haud quaquam hominum ingenio vel arte ſed alia vi conſilioque in vivum montis ſaxum excavata: in quam deorſum per portam ingentem marmoream, quæ meridiem ſpectat, à regni Principibus ingreſſus 55. graduum ad Septentrionem verſus patet. qua deſcendi abſque Face nullo modo poſſet, ni plurimis in ſaxum exciſis ſpiraculis ac feneſtris lumẽ diurnum in marmoreas admitteretur ſchalas. Earum ad finem Sepulcretum eſt, in plano apertum, cum ſacellis monumentiſq; multis, inter quæ, læva priuſquam in Specum ingrediare, pulcherrimum apparet quoddam, cum nobilis familiæ Neapolitanæ Pudericorum, quõdam huius loci dominorum inſignibus. Prope Sacellum hoc per aliam portam ex ære ſummo artificio perfectam quæ ad occaſum reſpicit in Specum ipſam aditus datur, quo nemini ante Solis exortum ingredi fas eſt. Ad dexteram Crypta mirabilis apparet, in orientem explicata, tota ex vivo Saxo ſolidoque lapide, purum liquorem perpetuo ſtillante, horrida, profunda & obſcura. In medio Delubrum eſt exiguum, aſcenſu graduum 4. Ara paulo editior in qua Miſſæ quotidianæ celebrari plerunque ſolent, minimeque in hæc penetralia paſſim omnes admittuntur. Non procul inde fons perennis ac modicus latice ſcatẽs, quo ſibi propemodum in omnibus morbis oppidani medicinam faciunt. Læva deinde arę. Sacella, ſimileſq; loci abditi celebrandis miſſis Quæ ſupra ſunt oratoria, non conſilio effecta, ſed in ſaxo ſic natura creata putantur, Pavimentum ſpecus, marmore candido rubroque variè ſtratum. Exteriora Cryptæ, id eſt, ſupremum eius tectum virens denſuſque Lucus, altiſſimis arboribus operit, è quibus multitudo maxima lapidum pẽdet, quos voti cauſa peregrinantes collo alligatos ſurſum in montis iugum Baiulant, ibique ſuſpenſos relinquunt. Admirationem ſummam hæc habet Silva, quod magno circumcirca ſpatio, nullus ne frutex quidem appareat alius, qua pro-

pter miraculum potius, quàm res naturalis habetur, tot & tam ingentes arbores hic in vivum Saxum radicatas. Videtur in Specu inſignis Crux ex puriſſimo Cryſtallo, longa fere dodrante & ſemis, quam loci ſacerdotes hic inventam aiebant, quo tempore Crypta ipſa, mirabiliter primum cognita eſt. Medio deinde montis, vbi planities amœna, prataque lætiſſima, caſtellum eſt D. Ioannis Rotundi quo finitimæ gentes 3. Idus Iunij quotannis conveniunt, & meſſis annonęque conditione, vel vbertate & anguſtia perpenſa communi omnium voluntate aſſenſuque, certum frumento pretium eius anni decernunt, quod excedere nemini licet. Ad montis latera, paſſim antiquorum operum veſtigia conſpiciuntur, quæ plane deſerta ſunt. Iuxta radices eius, ad meridiem verſus, prope planitiem inter Sanſeverum & Manfredoniam, D. Viti oppidum eſt, ædificijs haud infrequens, at propter multitudinem Serpentium omnino deſolatum.

ITER ROMA TROIAM, SALPE, ET BARVLVM.

Montellam vſque in pręcedenti itinere numerantur milliaria.	157	Vide Tabellam Aprutij.		Crepa cuore	6
		Bonalbergo	11	o. Troia	7
		M. Malo	4	Simul	165.

TROIA civitas eſt opulentiſſima, fœcundo agro. Condidit Troiam Babugianus Michaelis Imp. Conſtantinopolitani præfectus, munimento nimirum præſidijs, quibus Apulia Calabriaque tenebatur, proximaque Romanę loca infeſtabantur. Vrbs titulo Comitatus inſignis eſt. Vide Tabellam Apuliæ.

Fogia	13	Trefanti	9	Simul 33.
Barſetino	6	o. Salpe	5	

SALPE oppidum loco veteris Salapiæ eſt, quę deſerta fuit ob cæli grauitatem, etenim quotannis incidente peſtilentia M. Hoſtilianus à Senatu Romano petijt vt vrbem quaternis P. M. propter ſalubritatem introrſum in continentem transferre liceret, quo impetrato, oppidum in mediterraneis condi cœptum, quod etiamnum extat Salpæ, deſolatumque vetus. Vide dictam Tabellam.

S. Euſta-

S. Euſtace	6	Ponte cavo	9	o. Barleta	5
				Simul	20.

BARVLVM vulgo Barleta oppidum eſt nobile ac frequens opulentumque, quod ſi Raſſano creditur Fridericus alter Imp. condidit. Collenutius autem ab ijs qui Canuſium deſeruerant ædificatum ait. Hi auctores ita conciliari poſſe videntur, vt à Canuſinis incœptum, à Friderico auctum exiſtimetur. Medio oppido foro ſtatua ex ære armati regis, X. pedum altitudine conſpicitur: incolæ dicunt Imp. Heraclij eſſe, quis poſuerit ignorant. Barulum inter quatuor Italiæ nobiliſſima præcipuaque caſtella cenſetur, quę communi omnium voce hęc ſunt, Fabrianum Piceni, Pratum Thuſciæ, Crema Langebardiæ, Barulum Apuliæ, Litus hic vadoſum, & abſq; vllo ſinu eſt. Non ceſſant quidem Barulani Molem omni ratione fluctibus obijcere, quo modicis ibi navigijs tuta poſſit eſſe ſtatio, verum non queunt ita locum operibus munire, ne Septentriones, cum maximè ſęviunt, etiam exiguis navigijs valde infeſti ſint. Hoc in oppido Conſalvus Ferdinandus Cordua, Ferdinandi Aragonum regis præfectus, ab initio cum modica manu ſe continuit; vnde principium ruinæ rerũ Gallicarum in Italia profectum, etenim cum Ludovicus XII. Gallus, & Ferdinandus Aragonum rex, Neapolitanum regnũ inter ſe partiti eſſent, paulatim oborientibus vtrinque ſuſpicionibus Conſalvum portioni Gallorum inhiare, illos viciſſim Ferdinandi, tandem ad arma res redijt & præliari cœptum: rerumque proceſſus huiuſmodi fuit, vt nõ ante quieſceret Aragonius, quam exactis è regno Gallis.

ITER ROMA ANDRIVM, TRANVM, ET VIGILIAS, vulgo Biſegli.

Troiam vſque numerantur mill.	165	Peliceto	10	Cannuſco	8
Vide Tabellam Apuliæ planę.		Nocera	8	Andria	12
		S. Clerico	8	Simul	119.
		Cirignola	8		

ANDRIVM vulgo Andria civitas, titulo ac dignitate Ducatus inclyta. Eam longo tẽpore nobilis Balcioarũ familia tenuit. Ex ea poſtremus Pyrrhus Altemuranus Princeps, filiam heredẽ habuit Iſabellam, matri-

monio iunctam Federico Aragonio, qui poſtea Rex Neapolis, rebus ſuis diffidens, cum Ludovicus XII. Franciæ Rex, bello Neapolitanum regnum peteret, ad eum in Galliam profectus ibi obijt, relictis liberis quinque; maribus tribus, fœminis duabus, cum vxore vidua. Andrij vaſa fictilia, ſunt ob operis elegantiam in ſumma apud gentes finitimas exiſtimatione. Vrbis incolæ inprimis ſtudioſe negociantur, qua ex re quęſtum maximum faciunt. Ager æque ac aliarum, quæ iuxta ſunt Vrbium optimos nobiliſſimoſque fructus, vinum, oleum, amygdalam, pomum medicum, ſumma vbertate producit; ac inſuper vndique cultiſſimos & amœniſſimos habet hortos. Vide Tabellam Terræ Barianæ.

o. Tranum 6

TRANVM vulgo Trane civitas, Plinio Trinium eſt, Auctorem eius inſcriptio ſupra portam indicat huiuſmodi. Tranum à Tyrrheno filio Diomedis conditum, & à Traiano inſtauratum, quapropter vt Collenutius refert Traianopolis, & contractione vocis Tranum dictum. Arcem eius Fredericus alter ædificavit. Vrbs eſt ædificiorum deſcriptione pulcherrima, ſed maiori ex parte propemodum deſerta. Cauſam incolæ dicunt, quod cũ ſuperioribus annis, in ditione poteſtateque Venetorum eſſet, Iudęis & Maranis Hiſpania eiectis plena, ob eorum negociationes ampliſſimas, conventu quoque maximo Chriſtiani nominis mercatorum, frequentabatur, at poſt Venetam cladem, ad Abduam à Ludovico XII. Franciæ rege factam, vrbe à Ferdinando Aragonio, regeque Neapolitano recepta, Iudæi Maranique pulſi fuere quorum exceſſum deſolatio conſecuta. Ager condicionis cum finitimis eſt ob ingentes Olearum ſyluas, & frequentiam Amygdalorum, quæ pulcherrimis ordinibus ſunt diſpoſitæ, tantæ proceritatis & craſſitudinis, vt apud eos, qui non videre, difficilis hercule rei fides eſſet futura. Inter arbores, & aliarum regionum, eiuſdem generis, tanta eſt diſſimilitudo, quanta ſilveſtrum olearum cum cæteris, idque tam magnitudine Truncorum, quam proceritate ac frequentia ramorum, idemque eſt de Amygdalis. Sylvæ olearum & Amygdalorum, ab huius oppidi agro, propemodum Tarentum vſque pertinent, etſi quibuſdam in locis, attamen pauciſſimis rariores paulo appareant. Non deſunt etiam hoc agro medicæ, Limoniæ, cæterorumque generum arbores fructiferæ tam ad neceſſitatem mortalium ſatæ, quam ad voluptatẽ Vide dictam Tabellam

Biſegli 4

VIGILIÆ vulgo Biſegli ad maris littus præcelſis in rupibus eſt. Eius municipij cives tanto libertatis deſiderio te-

rio tenentur, nimirum quo ſub Neapolitanis regibus tantum, nec alterius cuiusquam Principis imperio ſubeſſe liceat vt Anno 1525. Carolo V. Imp. Neapolisq; regi, aureorum nummum millia 14. vltro obtulerint, ne in cuiusquam alterius reguli poteſtatem traderentur, ſed eodem quo tunc reipub. ſtatu, deinceps vti poſſent. Conditur hic uva ſaccharo alijsque rebus aromaticis tam excellenti arte, vt miram ſuavitatem, longeque maiorem ea, quam oriens mittit, trahat. Ager vti finitimarum vrbium æque vini, olei, amygdalæ, aliorumque fructuū vbertate fertilis.

ITER ROMA VALMONTONIVM, FERENTINVM, AQVINVM, BENEVENTVM, TRIPALTAM, ARIANVM, MARFETAM, IVVENATIVM, BITONTVM, BARIVMQ, MOLAM, ET SAMVITVM. Vide Tabellam Latij.

Torre à meza via d Albano	8	Marino	5	Arx Valmontone	5
		Cana del aglieri	8		Simul 26.

VALMONTONIVM caſtellum in colle eſt, Labicum Straboni dictum. Livius expugnatum à Q. Sulpitio Priſco Dictatore, direptumque ſcribit, & colonis eo Roma ex S. C. miſſis bina iugera ſingulis data. Labicanus ager olim ab uvæ pręſtantia nomen habuit, cuius tres & viginti libras vno prandio Claudium Albinum abſumpſiſſe Capitolinus auctor eſt. Vide dictam Tabellam.

Caſtel Mate	9	o. Ferentino	8	Simul 17.

FERENTINVM olim Romanorum colonia fuit. Dionyſius in foro Ferentino concilium habitum ſcribit. Vide dictam Tabellam.

Torrice	5	o. Arpino	4	S. Benedetto	4
o. Sora	6	S. Elia	4	o. Aquino	3
					Simul 26.

AQVINVM civitas ita à Veteribus dicta, nunc collapſa ferè iacet, vt tamen antiqua morientis veſtigia ſuperiorem eius amplitudinem haud obſcure teſtentur, hac in vrbe Robertum Guiſcardum Normannum à Grego-

rio Pontif. Rom. cum magna ſolennitate Ducem Apuliæ Calabriæque dictum Blondus & Platina ſcribunt. Aquinum etſi totum ferè nunc ruinis conciderit, tamen Comitatus habet titulum. Vide Tabellam Aprutij.

Theano	13	Altavilla	6		Simul 38.
Fondechupo	13	o, Theleſe	6		

THELESIA vulgo Theleſe vetus eſt civitas. Amnis in hac vrbe naſcitur tantæ frigiditatis, vt nullum generet piſcem. Vide dictam Tabellam.

Taburno	4	Solepaca	6	o, Benevento	5
Serra	3	Tarfara	4	Simul 22.	

BENEVENTVM coloniam civium Romanorum deductam, quo tempore & Ariminum auctor eſt Livius. Antea maleventum appellatum fuerat, ſed cum Colonia eo deduceretur, boni ominis gratia Beneventum dictum eſt. Olim rebus Samnitum florentibus, quanquam gentis caput non eſſet, maximæ tamen exiſtimationis præ cæteris vrbibus fuit, cum ob ſitus oportunitatem, auctoritaremque civium, tum ob amœnitatem, bonitatemq; agrorum: cæteroſque etiam Samnitum populos Beneventani Conſilijs ac diſciplina militari ſuperabant. Totilam Beneventum evertiſſe atque omnia devaſtaſſe Blondus auctor eſt. Refecere Langebardi tota Italia occupata, ſedibusque atque imperij ſui domicilio, cum Beneventani ducatus nomine hic conſtituto. Sublata illorum à Carolo magno dominatione, cum poſt multos annos in Italiam Saraceni appuliſſent, & è Gargano, in quo ſe munitionibus ſepſerant, finitimas late regiones excurſionibus vaſtarent, ab ijs quoque Beneventum direptum incenſumque & ad fundamenta deiectum eſt, nec prius quam iſtis fœdis ac rabidis canibus omnino tota Italia pulſis, inſtauratum. Rediit tum ad priſtinas ſedes paucorum civium, qui per tempora bellorum paſſim fuerant diſperſi numerus cœpitque vrbem inſtaurare, quæ poſt annos etiam aliquot ab Othone II. Imp. de improviſo capta direptaque ac incenſa eſt. Inſtauratum deinde Benevẽtum à Guilielmo Normãno, conſignatumque Adriano IIII. Pontif. Rom. in æde D. Martini, quę haud procul eadem ab vrbe eſt, vbi à Pontif. Siciliæ rex fuit dictus. Fridericus II. ab vrbe Roma iniquo animo digreſſus, partim fraude, partim vi cũ Benevento potitus fuiſſet id evertit, A quo poſtea refectum ſit non invenitur. Impoſitum eſt colli cui perpulchra planities amœna rivulis nitentium aquarum, magna cum voluptate ſpectantium, paſſim diſcurrentibus, ſubiacet. Vicini ſunt alij nitidi apricique colles, optimè domicilijs exculti. Ager finitimus Beneventana vallis appel-

appellatur, & à quibusdam diſtrictus Beneventi, qui longiſſimo ſpacio millium multorum, ad Silari fontes vſque pertinet, pulchritudine, fertilitate, amœnitate ac oppidorũ quondam celebrium frequentia nobilis. Vide dictam Tabellam.

Tripalta	10

TRIPALTA nobile oppidum ferrarijs officinis notum, ornatumque Marchionatus titulo. Vide dictam Tabellam.

Boneto	4	Frumaro	5	o. Ariano	5
				Simul	14.

ARIANVM civitas in aſpero ac difficili colle eſt; veteribus ara Iani dicta, quanquam nullo antiquitatis veſtigio notabilis. Titulum nunc ſuſtinet Comitatus. Vide Tabellam Aprutij.

C. Franço	10	Lavello	6	Qnarata	5
Aſcolo	13	Camuſto	14	Rivo	4
Corneto	9	C. del monta	14	o. Marſeta	6
				Simul	81.

MARFETA quibuſdam MORFITTA MELFATTAQVE dicta civitas, in maris ora, pari cum finitimis vbertate agri eſt. Vide dictam Tabellam.

o. Iurenazo	4

IVVENATIVM civitas, agro non minus quam aliarum vrbium vini, olei, frumenti, amygdalæ cæterarumque rerum fertili eſt. Vide dictam Tabellam.

o. Bitonto	8

BITONTVM Bitonto dicitur, incolis etymon, vt Raſſanus ait, huiuſmodi fingentibus, quaſi bonum totum, levi literarum traiectione diceretur. Vrbs nobilis & frequens, agro rerum omnium, tam ad neceſſitatem mortalium,

talium, quam ad voluptatem abundantiſſimo, ſummaque frumenti, vini, olei, amygdalæ, pomi medici, aliorumque nobilium fructuum vbertate. Vide dictam Tabellam.

o. Bari 10

BARIVM vrbs eſt pulchritudine lautitia, populique frequentia nobilis, vt merito regionis vniuerſæ teneat principatum, eiq; nomen abs ſe Terræ Barianæ præbeat. Inſignis etiam Archiepiſcopali ſede eſt. Solebant hic reges Neapolis & Siciliæ coronam ſumere, ſervanturque in hodiernum diem veſtes aliæque regiæ inunctionis inſignia. Templum Barij celeberrimum ac ſumptuoſiſſimum eſt D. Nicolai Mireani Antiſtitis. Cernitur in hoc fano Theſaurus ditiſſimus, aureaque vaſa plurima, cum ſignis ingentium prætiorum & veſtibus Pontificijs. Ora hic importuoſa quoq; eſt, nulli .n. littoris ſunt receſſus, etſi quidā forma portus ſed opere facti appareat. Barium captum direptumque, oppidanos partim occiſos, partim Bizantium relegatos à Baſilio Conſtantinoque Orientis Impp. exercitu in Italiam ducto, circa Benedicti VII. Pontif. Rom. tempora Blondus memoriæ prodidit. Sed ex eo tempore, cum populo tum opibus denuo ſatis inſtauratum eſt, incrementiſque maximis adeo auctum, vt nunc regionis caput habeatur. Ager Barianus oleum, vinum, frumentum, amygdalam, Goſſipium, alioſq; fructus vbertate quadam & abundantia propemodum incredibili fundit. Vide dictam Tabellam.

Mola 8

MOLA caſtellum eſt in maris littore frequens quidem ædificijs, cæterum colonis agreſtibus. Arcem ibi ſuperioribus amnis mirabilem atque invictam Marchio Polinianus huius orę præſidio condidit. Ager vti finitimorum etiam oppidorum, olei frumentique perquam fertilis eſt, Vide dictam Tabellam.

S. Vito 3

D. VITI ędes per antiqua & nobilis eſt, vbi quædam portus ſpecies, quanquam à Brundiſio hucusque vadoſum litus, & abſque vllo Sinu ſit, per quem ad terram naves appellere poſſint, quibus ea propter, in alto procul ſtandum in ancoris eſt.

ITER

ITER ROMA CONVERSANVM, POLIGNANVM, MONOPOLIM.

Bitontum vſque numeran- mill. 246.	Vide Tabellam Terræ Barianæ.	Caporzo	10
		o. Converſano	10
			Simul 266.

CONVERSANVM civitas in collis dorſo eſt. Principium huius ſaxoſi, multis tamen inſignibus, & fructiferis arboribus ornati collis, inter Molam & Converſanum eſt, à Bario P. M. XV. vnde verſus exortum, ſpatio plurimorum miliarium extēditur. In iugis eius vici oppidaque varia. Converſani imperium Dux Atrinus tenet, idemque Converſani Comes. Ager vrbis frumentum, vinum, oleum, alioſque fructus abunde fert. Vide dictam Tabellam.

o. Polignano 8

POLINIANVM civitas eſt, edita præruptaq; & ſaxoſa in rupe, ſed lauta populoque ſatis frequens. Cavernæ ſub ea plurimæ apparent, in quas vndæ magno cum impetu irruentes, lenique curſu rurſus exeuntes, periucundas quaſdam voces maximi murmuris & ſuſurri perpetuitatem audientibus, edunt. Ager eius vinum affatim, oleumque præſtantiſſimum & amygdalas generat, cernunturque hic paſſim nemora olearum & amygdalarum. Piſces quoque circa litus hoc optimi capiuntur. Vide dictam Tabellam.

o. Monopolis 5

MONOPOLIS vrbs nova eſt, cuius mentio nullis adhuc ſcriptorum monumentis facta reperitur, præterquam volaterrani, qui conditam ob Egnatiæ propinquę interitum ſcribit. Vrbs eſt pulchritudine ſplendore civilitate ac magnificentia nobilis cæterum non magna, habet inter alia memoratu digna ſacellum ſummo in tēplo, deornatum ſtatuis ſignisq; è marmore, tam admirabili arte perfectis à Ludovico Florentino, vt cum veterum illorum, à Plinio cæteriſque priſcis ſcriptoribus tantopere celebratorum operibus, non indigne conferri queant. Ager Monopolitanus frumentum oleumque mirabili fertilitate fundit: affirmantque civitatis incolæ, cum olearum eſt tempus, annatim olei plus quam vicena millia amphorarum ibi colligi: quod incredibile ijs videri poſſet, qui ſilvas olearum his in locis totaq; regione vaſtiſſimas non viderint.

ITER ROMA VVLTVRARIAM, AQVAVIVAM, IOIAM, CILIVM ET BRVNDVSIVM.

Beneventum vſque numetur mill.	129.	M. Fuſcolo	7	o. Vulturata	8
		Chiancatella	4		Simul 156.
Vide Tabellam Aprutij.		Serpito	8		

VVLTVRARIA vulgo Vulturata, altiſſimis ac difficillimis in montibus Tremulis civitas eſt. Vide dictam Tabellam.

Candida	5	o. Aquaviva	8	Simul 13.

AQVAVIVA oppidum eſt nobile, & illuſtri Aquavivana familia inclytum, è qua multi Adriæ Duces extitere. Vide Tabellam Pugliæ planæ.

Callieri	10	Spinacola	9	Altamura	16
Mazania	10	Cancelara	13	S. Heremo	9
M. Mellore	4	Leuzano	10	o. Giria	11
					Simul 92.

IOIA vulgo Gioia caſtellum eſt frumēto abundans, in cuius agro præter amœniſſimos campos, opaca quoq; nemora ſunt, ad venatum percommoda, pulcherrimam hic, vt illis temporibus, arcem Fridericus II. Imp. locorum iucunditate ac venationis opportunitate ductus extruxit. Vide dictam Tabellam.

Putiliano	11	Locorotundo	10	o. Cilium	10
					Simul 32.

CILIVM Ptolemęo Celia dicta vulgo Celio antiqua civitas eſt in fine collis, eius in agro crocum affatim naſcitur, Multæ hic ſylvæ ferarum copia ſcatentes, ad venatum per opportunæ ſunt. Vide dictam Tabellam.

Caſte-

Caſterino	8	S. Anna	3	o. Brindiſi	11
					Simul 22.

Brvndvsivm vulgo Brindiſi in Apulis Ætoli condidere, qui Diomedem ſecuti erant, pulſis autem ab Apulis cum Oracula conſuluiſſent, data dictio eſt, locum quem reperierant perpetuo poſſeſſuros, hac de cauſa, cum per legatos ſub belli cōminatione reſtitui ſibi vrbem poſtularent, Apuli cognitis Deorum reſponſis, legatos eorum interfectos in vrbe ſepelierunt, perpetuas illic habituros ſedes: quamobrem ita defuncti Oraculo in poſterum vrbem retinuere. Coloniam populi Rom. Brunduſium deductam Livius auctor eſt. Quondam vrbem hanc opibus & potentia tantum valuiſſe Florus prodidit, vt Salentinorum haberetur caput, nunc & deſerta propemodum, & collapſa iacet, ꝙ inteſtinis odijs & contentionibus eveniſſe Raſſanus ait: cives enim ipſos, inter ſe diu cædibus & ædificiorum demolitionibus incendijſq; pluſquam hoſtili immanitate ſævijſſe. Permunitam habet Arcem, & Portum toto orbe cum primis celeberrimum. Conditio eius quemadmodum & Strabo deſcribit, eiusmodi eſt, vt plurimi vno oſtio portus includantur, ideoque nulla fluctuum agitatione turbari poſſint, intus ſinuoſo receſſu vim ventorū excludente: formā quippe cervinis cornibus perquā ſimilē obtinet, vrbs ipſa capitis: vnde & appellatio Brunduſium, qm̄ ea voce Meſſapiorum lingua cervinū caput ſignificetur. Tribus P. M. in mari directo contra primi portus oſtium apparet Scopulus longitudine paſſ. mille, latitudine quingentorum, in eius fronte, qua vrbem proſpectat, Arx eſt munitiſſima, Caſtellum Inſulæ vocant, Ferrandi Aragonij primi, regis Neapolitani opus, amborum portuum admirabile præſidium. Brunduſium olim mire frequentatū fuit, quod ex Aſia, Græciaque Romam proficiſcentibus, aut dein in eas regiones cogitantibus, aditu, tum terreno itinere, tum mari peropportunum habeatur, omnes omnium hiſtoriæ memorant. Archiepiſcopali ſede nobilitatum eſt Brunduſium, habetque agrum omnibus rebus ad vſum humanæ vitæ abundantiſſimum ac vberrimum, olei præſertim tanta copia, vt cui olearum his in locis ingentia nemora viſa non ſint, incredibile plane videri poſſit.

Iter Roma Abellinvm, Venvsiam, Gravinam, Materam, Motalam, Aletivm, Hydrvntvm.

Thelaſiam vſque numerantur mill. 106. Vide Tabellam.

Collis pacis	6	o. Avellino	4		
S. Martino	12		Simul 133.		
Monte fiore	5				

ABELLINVM vulgo Avellino vetus eſt civitas. Supra Abellinum mons eſt Saticulus, à quo haud longe diſtat oppidum Harpadium vulgo Arbaico, vicinum Furcis Caudinis, inſigni Romanorum ignominia, quorum legiones hic ſub iugum miſere Samnites, inclytis. Furcarum hæc natura eſt: Saltus duo alti ſylvoſique ſunt, montibus circa ſe perpetuis inter ſe iuncti. Iacet inter eos ſatis patens clauſus in medio campus, Herbidus aquoſuſque: per quem medium iter eſt: ſed antequam venias ad eum, intrandæ primæ anguſtiæ ſunt, & aut eadem qua te inſinuaveris, retro via repetenda, aut ſi ire porro pergas, per alium Saltum arctiorem impeditioremque evadendum. Vide dictam Tabellam.

Bocluent	10	Lione	18	Rapola	5
Archangel	7	Melfi	10	o. Venoſa	8
					Simul 58.

VENVSIA ſiue venuſium diſtat à Canuſio P. M. XV. In hanc vrbem victis ab Annibale Romanis ad Cannas, Terentius Varro Conſul, L. Paulo Æmilio collega in acie cæſo, cum equitibus 50. fugit. A Venuſia XV. lapide ad Aufidum verſus, Cannarum ſeu Canuſij deleti veſtigia reperiuntur exigua. Vrbs hæc ad amnem Aufidum, qui nunc vulgo Loſantus, amœna in planitie ſita fuit, veteribus Canuſium vocata. Locus hic nobilis inſigni clade Romana. Vide dictam Tabellam.

Monervio	8	o. Chiroſa	14	Gravina	5
Vietro	6	Montepeloſo	11		Simul 44.

GRAVINA civitas eſt inter montes, dignitate tituloque ducatus inſignis. Vide Tabellam dictam.

Matera	10

MATERA vrbs frequens inprimis, & opulenta quondam Acherontia vocata. Sitũ habet huiuſmodi, Partim in

tim in duabus profundiſſimis convallibus,partim editiſſimis in locis,quæ vallibus imminent,poſita ſuſpenſaq; eſt.quamobrem cum ita libet,incolæ cæli ſereni lucentibuſque ſtellis pleni formam &, imaginem quandam aptiſſime ludere ac efficere,hic queunt.Optimatium imperio per præconem omnes in imis convallibus oppidani poſt Solis occaſum, ad ſignum conſuetum repente lumen ante fores oſtendere iubentur, vnde fit vt tum è ſuperno ciuitatis faſtigio deorſum ſpectantibus cælum tanquam ſub pedibus appareat lucidiſſimis refectum diſtinctumque ſyderibus, inſtar Septentrionum, Sucularum, Vigiliarum,Coronę,cæterorumque id genus,quæ Aſtrologorum diſciplina confingit, vrbs Archiepiſcopatus titulum obtinet. Agrum optimum, & abundantia rerum vberem habet. Vide Tabellam dictam:

Colubrano	10	Caſtellaneto	8	Motala	8
					Simul 26.

Motala civitas eſt Tarento 12. paſſ.mill. diſtat. Vide Tabellam dictam.

Caruſino	14	S. Gaiazo	6	o. Leze	9
Orca	13	Saleſe	4		Simul 61.
Caſal novo	6	Maliono	9		

Aletivm vulgo Leze vrbs eſt honeſtiſſima regioniſque totius præcipua, tam ſi elegantiam, ac deſcriptionem ædificiorum, quam ſi populi frequentiam civilitatem opesque ſpectes. Conſilium in ea regium Apuliæ totius & forum perpetuum agitur. Agrum habet optimum,frumento, vino Oleo,Amygdala, mediciſque malis acid generis nobiliſſimis fructibus vberem. Vide dictam Tabellam.

Camperga	5	Sigliano	8	o. Otranto	10
					Simul 23.

Hydrvntvm vulgo otranto civitas,ætate Strabonis vrbs erat modica,nunc perhoneſta caputq; regionis eſt cui nomen etiam à ſe præbet hydruntinæ terræ, Iacet prope Leuce promontorium in altiſſimis oræ rupibus, Epirum ſpectans. Arcem habet eximiam, in ſaxo mari imminenti,qua propter ſi nihil rerum neceſſaria-

rum ad tutelam deficiat, omnino ab omni vi invicta creditur. Opus id Alfonſus Aragonius alter, rex Neapolis fecit, poſt vrbem de Turcis receptam, qui anno à C.N. MCCCCLXXXI ductu cuiusdam regalium claſſium præfecti, huc ex Epiro traiecerant, vrbeque adventu repentino capta, viros omnes trucidarunt, ad ſervilia miniſteria pueris tantum ac mulieribus conſervatis, poſtquam receptum de Turcis Hydruntum eſt ita paulatim & mœnibus inſtaurari, & colonis diverſorum locorum nouis impleri cœpit, vt nunc munitionibus operibusq;: populi item frequentia ac civilitate, perhoneſta rurſum vrbs ſit, opibus etiam indies incolarum negociatione plurimum augeatur. Agrum habet, cum pulchrum, tum vberem, & fructuum optimorum fertilem, horti paſſim cultiſſimis amœniſſimiſque, citris medicis, Limonibus, alijsq; ſimilibus arboribus pleni ſunt.

ITER ROMA TARENTVM.

Motalam vſque numerantur in itinere præcedenti milliaria 271.

Vide Tabellam Apuliæ plane.

Lepurana	9
o. Tarento	5
Simul	185.

TARENTVM vulgo Tarento in ora maris antiquiſſima nobiliſſimaque civitas eſt, in eius aditu primũ portus conſpicitur, longe celeberrimus ſcriptorum monumentis præcipueq; Strabonis, à quo fere in hanc ſententiam deſcribitur: Portus Tarentinus maximus atque pulcherrimus ingenti ponte includitur, amplitudine ſtadijs centenis patet, Iſtmo inter ſinus vndas exteriores, & ipſius portus internas, receſſu interiore cherſoneſum creat, in qua vrbs poſita, facillimo navium acceſſu opportuna, quod in littore colles vtrinque ſint modici, verum vrbs ipſa, ſe per loca depreſſa explicet, arce tamen in editiori parte ſita, Murus civitatis antiquus, ingenti omnino circuitu patet, cæterum, qua Iſthmum ſpectat, maiori nunc ex parte concidit, ea vero pars, quæ portus oſtio propinquior eſt, & arcem etiamnum habet, non mediocris magnitudinis vrbem explet, ſtadiumque luculentiſſimum amplectitur, itemque forum ampliſſimum, in quo Iovis coloſſus ex ęre cũ mirabili opere ſummaque arte, tum poſt Rhodium præcipue magnitudinis & vaſtitatis. Inter forum portuſque Arx eminet, perpaucas nunc veterum monumentorum reliquias habens, nam cum prius multitudine ſtatuarum & ſignorum excellentium abundaret, plurima Carthaginenſes vrbe potiti, diripuerunt, quædam etiam poſtea Romani vrbe capta, per vim ſpoliorum nomine ſibi vendicarunt, è quibus Herculis ex ære ſignum ingens, in Capitolio defixum

ſixum Lyſippi, quod à Fabio Max. Romam delatum eſt, hactenus Strabo. Primordium eius in diuerſa trahunt auctores. Superſunt quæ veterem amplitudinem teſtantur, vrbis antiquę veſtigia, Theatri item,& multorum inſignium ædificiorum, oſtijque peramplį ac tutiſſimi portus, quanquam id nunc ſaxis ingentibus obturatum ſit, adeo vt parvis tantum navigiis, non etiam magnis pateat. Sunt tamen ijs ſaxorū molibus arcus aliquot impoſiti,per quos haud ſecus ac oſtio fluminis æſtus advenientes,in portum admittuntur,emittunturque reciprocantes. Eo fit vt ingentem vim piſcium omnis generis pro anni tempore mare huc importet. & memorabile ſane eſt,quod auratas palmorum duorum, palatoq; gratiſſimas hic capiunt. Tanta vero piſcium vbertas hoc in portu eſt, vt non ſolum vrbi ipſi,ſed etiam plurimis Calabriæ, Apuliæ,Lucanieque atque aliarum partium gentibus ſufficiat, Septum oſtij portus, ipſum portum ab ſinu Tarentino dividere videtur,hac ætate tam nobilis olim portus, quæ ſeparata eſt pars, vulgo Mare parvum dicitur. In circuitu M. P. XXX,in longum VIII. in latum II. colligit vt piſcatores affirmant. Oſtium portus in ſinum emittit Tarentinum, quem accolę nunc vulgo Mare magnum vocant,Eo in digito continentis,quique inter portum & ſinum procurrit, vrbs ipſa ſita eſt admodū exigua,ſi ad veteris amplitudinem & ſpatia conferatur.extremam obtinet antiquæ partem lōgaque multa magis quam lata, nec iam ædiſicijs decora ſed habirationes admodum rudes habens, quippe quæ fere piſcatorum nunc ſint, vbi quondam tanta nobiliſſimorum hominum multitudo incoluit. Poſtrema in parte qua continētem ſpectat, vbi priſca vrbs erat, arx eſt munitiſſima, cinctaque marinis aquis, pridem à Ferrando Aragonis primo Neapolis rege refecta. Tarentinus ager opimus eſt & omnium rerum, ad vitam vtilium fertilis, itemque Salem generans quem Plinius vti ſuauiſſimum candidiſſimumque præ cæteris generibus commendat. A Varrone mel Tarētinum laudatur. Macrobius nucem Tarētinam adeò fragili eſſe putamine, ac ita mollem ſcribit vt vix attrectata rumpatur. Vide Tabellam dictam.

Lozano	11	Garano	8	Coregliano	5
Vſana	8	Cormiano	8		Simul 63.
Vetrina	8	Sternatio	16		

CORLIANVM nobile ac munitum eſt oppidum in dorſo modici collis ſitum, locisque circumiectis mire imminens. Arx hic ſitu naturaque loci & mœnibus craſſiſſimis tā munita vt expugnari nulla vi poſſe videatur, ſi rerum neceſſariarum deſit nihil. Ea inter præcipuas Italiæ habenda, quanquam non pari ſorte cum alijs amplitudine ſit, horti hic perelegantes & amœniſſimi, citris medicis ac id genus fructiferis arboribus pleni, Trunci

Caulis

Caulis altitudinè pedali, craſſitudine exteriori amplius trium palmorum conſpiciuntur, Plurimi ſunt hoc tractu inter Hydruntem & Corlianũ pagi, incolæ Græca gens. Ager vniuerſus periucũdus, & optimorum fructuũ fertiliſſimus, paſſim enim horti Limonibus, citris, medicis, & ſimilibus arboribus pleni conſpiciuntur. Vide Tabellam dictam.

Boſardo	9	Caſtro	9	Simul 18.

CASTRVM civitas frequens eſt, negociatorum conventibus, præſertim olei coemendi gratia, quod propter loci oportunitatem ex circumiectis agris eo deportatur. Cladem anno poſt C. N. XXXVII memorabilem accepit, cum à præfecto quodam Solymanicę claſſis, quæ ad Aulorum navale mittebatur, ingentibus copijs in terram expoſitis, oppidani metu perculſi, eo ſe pacto hoſti dediſſent, ne quid hominum vitę pecunijſq; damni daretur, etenim nec ſervata condicionum fide, hoſtis vrbem diripuit, & trucidatis omnibus invalidis, reliquã multitudinem captivam abduxit. Solymanus tamen Imperator re intellecta, non ſolum id in ducem claſſis capitali ſupplicio vindicavit, ſed etiam abductos mortales domum vna cum rebus ſuis remiſit. Vide dictam Tabellam.

Pulizano	8	Sidio	19	Simul 44.
S. Pietro	9	o. Galipole	8	

GALLIPOLIS vulgo Galipoli in Magna Gręcia, mirabili conſtitutione ſita eſt, in ambitu miliare Italicũ cum dimidio, continet, & habitationes vltra mille octingentas, rupi & immobili Saxo inſidet, muris tam ad defenſionem idoneis, quam ad ornatum & magnificentiam conſpicuis circũdata? aere ſaluberrimo gaudent, Peninſulæq; formam repræſentat, locus inſtar eſt fori, & negociatoribus acceſſu, tam mari, quam terra per opportunus, quapropter toto anni tempore, mercatoribus frequentatur maximè Genuatibus, Ager Galipolitanus optimus & fertiliſſimus eſt oleo, vino, croco cæteriſque fructibus ad vſum humanæ vitæ cum primis abundans, mare valde piſculentum habet. In aditu vrbis, qui vnius tantum pontis caſtrum eſt valde munitum. Fons hic novus, ſtatuis elegantiſſimis decoratus, quinque Tubis præſtantem aquam civiũ vſibus affatim eructat. Aquæductus quoque operis vetuſti, partim conſpicuus, partim per occultos terræ meatus, procul derivatus. Vide dictam Tabellam.

Nardo 10

NARDVM civitas eſt antiquiſſima, Ptolomęo Neritum dicta, populo frequens ac lauta. Agrum habet amœnum pulchrum ac vberem, arboribus medicis, Limonijs vaſtiſſimis Olearum nemoribus vitibuſque refertum. Vide dictam Tabellam.

Vgenti 11

VXENTVM vulgo Vgenti civitas eſt in colle. Ea ſatis ampla olim fuit, vt antiquorum ædificiorum veſtigia demonſtrant nunc per exigua eſt. Agrum habet optimum, olei, vini cæterorumque fructuum fertilem.

ITER ROMA S. GERMANVM.

Ferentinum in itinere Roma Valmontonium numerantur mill. 26.

Vide Tabellam Latij.

Rippi	5
Babuco	5
Torre	7
Caſt. S. Germano	5
Simul	48.

D. GERMANI caſtrum in radicibus Caſſini mõtis eſt, ab illo Sancto Abbate, qui condidit ita dictum, perenitidis fontibus, tum in ipſo oppido, tum extra paſſim exilientibus abundans, quos amnis in propinquo fluens omnis colligit. D. Germani incolæ maiori ex parte fabri ſunt Acuum, quæ tanta hic varietate fiunt, vt artificum ingenia tam multiplicia, pro miraculo plane habeantur. Eas, quia non ſolum apud vicinas gentes verumetiam in alijs Italiæ regionibus longinquis culmen bonitatis & æſtimationis obtinent, quã longiſſimè mercatores exportant. Infra D. Germani ad alterum lapidem ingentes ædificiorum ruinæ cernuntur, veteris Interamniæ.

Theanum 10

ITER ROMA SVESSAM, CAPVAM, SVESSVLAM, ACERRAM, NOLAM, SARNVM, SANSEVERINVM, DIANIVM, PADVLAM, CASALE NOVVM, CORLIANVM, ROSANVM.

O Feren-

Ferentinum vſque numerã-tur mill. 26.
Vide Tabellam Latij.

Frazelono	6	Ponte corvo	8
Fabrica	5	Fratte	10
Ceperano	9	Seſſa	7
			Simul 71.

SVESSA POMETIA, ab antiquis Sueſſa Aruncorum, & Sedicinorum, & Volſcorum, & Veſtinorum cognominata vulgo nunc Seſſa, civitas eſt hoc ævo modica, titulo tamen Ducatus honeſtata. Vide Tabellam Aprutij, & Terre Laboris.

Caianello	11	o. Capua	6
			Simul 17.

CAPVA NOVA eſt ad Vulturni ripam, altero lapide ab antiquæ ruinis, quæ ingentes adhuc cernuntur iuxta D. Mariæ gratiarum ædem, vtpote portarum vrbis Theatri Aquæductuum, aliæque moles immenſæ templorum, porticum, thermarum atq; ædium ampliſſimarum. Item ſubterraneę concamerationes vaſtæ, & aquarum caſtella; viſunturque in vepribus ac dumis columnarum ac marmorum omnis generis infinita fragmenta, ex quibus potentia ac ſuperbia veteris Capuæ colligi poteſt quamvis magnas eius reliquias nova Capua, vicinæque vrbes inde diſtraxerint. Strabo Capuam appellatam tradit, ab agro campeſtri, eademque ratione P. Maro Campanam vrbem, & Tullius Liuiusque frequenter eius cives & incolas Campanos nominare videtur à camporum vberrimorum cultu. Poetæ tamen Maro, iam dictus, Lucanus & Silius, alijque, Capij Troianum Æneæ ſocium vrbi colonos, mœnia ac nomen dediſſe canunt. Eam, auctore Strabone, prius Opici & Auſones tenuere, dein Oſci Thuſcorum gens, à quibus Oſca dicta, hos eiecere Cumani poſteaq; ijſdem pulſis Etruſci eam ampliatam caput vndecim vrbium aliarum inſtituere, Vulturnumque etiam dixere à vicino flumine vt Livius teſtatur. Potentem atque vicinam in Italię meditullio, nec non inimicam ſemper atque æmulam Imperij, non minus quam ipſa Carthago, ferocemque præſentis Annibalis amicitia atque ſocietate, Romani maximis operibus circumvallata in & obſeſſam fame demum ſubiugarunt. Senatuque ſecuri percuſſo, civibus reliquaque multitudine ſub haſta venditis vrbem atque agrum omnem publicarunt. Nec in poſterum civitatis vllum corpus, non concilium publicum, non magiſtratus aut Senatum vrbi permiſere, vel vlla inſignia reipub. ſed ædificia ſedes aratorum eſſe iuſſerunt, vtique dumtaxat vrbs à Libertinis, & inſtitoribus, vilique operaria plebe frequentaretur, permiſſum fuit. In hunc itaque modum Capua adflicta iacuit, vltra annos centum triginta, atque

ager

ager Campanus populi Romani publicus fuit, vſque ad C. Cæſaris conſulatum. Qui lege Iulia contra Senatus optimatumq; ſententiam lata, militibus agrum eum viritim diviſit Capuamque, muro ductam, vti fragmenta Iulij Frontini demonſtrant, primis coloniam fecit. Quæ ex eo quidem tempore reſurgens auſpicijs Imperatorum, floruit ſub populi Romani poteſtate donec à Genſerico Vandalorum rege capta ſubverſaque ab Oſtrogothis dein occupata, atque his pulſis à Narſete reſtaurata, tandem à Langebardis iterum exciſa fuit atque deleta. Cęterum quo tempore hæc nova Capua ex ipſius ruinis excitata, quove auctore ad ſecundum ab altera lapidē traducta fuerit non ſatis conſtat. Eſt quidem veriſimile, quod vi metuque barbarorū pulſi, atque diſperſi cives, tandem confluxerint, atq; ſenſim extra deſertæ Capuæ ruinas ſedes fixerint, ibidem ad Vulturni ripam vbi nūc novam Capuam, in vrbem peramplam atque potentem emerſiſſe videmus, Caſtrum hic eſt propugnaculorum operibus ſumptuoſis, foſſis, muris, ac turribus Speluncisſque ſubterraneis munitiſſma, Vide dictam Tabellam.

Tremola	6	Sueſſula	7	Simul 13.

SVESSVLA vulgo Seſſula vrbs plene collapſa nunc iacet, Vide pictam Tabellam

Acerra	4

ACERRA pene deſertum eſt oppidum, ac potius infrequens pagus, quam vrbs videtur. Vide dictam Tabellam.

Marigliano	3	Caſaria	3	o. Nola	3
					Simul 9.

NOLA vrbs eſt vetus in planicie, quondam ambitu maximo fuit, mœnibus eum II. Mill XVII. paſſ amplectebatur, forma rotunda, cum portis duodenis & habebat amphitheatra bina, vnum marmore alterum lateribus coctis ſtructum, item Auguſti, Mercurij Iovisque templa. Reperiuntur autem etiamnum in eo circuitu multa veterum ędificiorum ingentium veſtigia, plurimaque fodiendo antiquitatis monumenta. Cęterum vrbs veteri illa collapſa, nunc admodum exigua eſt, nec amplius C. M. XXIIII. paſſ. ambitu colligit cum portis ſolum quinis. Vide dictam Tabellam.

Sarno	10

SÆRNVM oppidulum eſt ab amne Satno denominatum Vide dictam Tabellam.

S. Severino 12

SANSEVERINVM oppidum eſt in cõvalle, ad collis latus vnde clariſſimæ nobiliſſimæq; familiæ Sanſeverinatum origo, quæ tot illuſtres militiæ proceres ac Duces edidit, collis ad cuius latus eſt Sanſeverinum radices, vicis villiſq; plurimis nitent: amœna hæc fœcundaque vallis fructus periiucundos ac optimos generat, vinũque item gratiſſimum vermiculum, Sanſeverinate dictum, maximo in prætio Romæ, ad finem huius amœnę vallis caſtellum eſt. Aquæ malorum dictus eruditis, prope id eſt amnis, qui à fonte miliaribus aliquot decurſis, terra ſe condens ita per abditos meatus ſpatio paſſ. C. emenſo, rurſus eadem qua deperijt copia claritateque erumpit.

M. Corvino	7	Pola	4	o. Diano	12
S. Licandro	13	Petina	4		Simul 40.

DIANVM vulgo Diano oppidum Ptolemęo memoratum in Apennini colle opulentum eſt ac nobile, à quo vallis Diania nomen habet. Eius forma naviculę convenientiſſima, puppe proraque diductiore, ventre vero capaci, panditur enim in longum XX. P. M. in latum IIII. tam amœna frumentique ac fructuum omnis generis fertilis, vt inter vberrimos lętiſſimoſq; regionis huius & vniuerſi regni agros merito numerari queat. Colles vndique fructiferos atque iucundiſſimos habet, ad quos vici caſtellaque magno numero apparẽt magis vnius ac perpetui pagi inſtar, quam diſtinctarum habitationum. Ad dexteram aditus ſtagnum illud apparet, ſeu palus vt accolæ vocant, vnde aquę proficiſcuntur, quæ per ſpecum erumpentes Nigro flumini principium dant, Eam paludem amnis Botta Picerma creat, ita cognominatus, quod propter Picernum oppidum fluat, inde namque altos inter montes, demum arctis faucibus in vallem Dianiam fertur, qua media decurſa, ſtagnum hoc ad caput efficit amplitudinis fere P. M. duorum, id tamen & alij fontes augent, qui è circumiectis collibus orti, hic tanquam in Lacuna, propter locum denſiorem corrivantur. Exonerat ſe per abditum cuniculum in ſpeluncam. Vide dictam Tabellam.

Sala	4	Padulla	3	Simul 7.

PADVLA nobile eſt oppidũ, Subter lautiſſimũ eſt Carthuſianorũ cœnobiũ in collis pede. Vid. dict. Tabell.

Caſa-

Caſale novum 7

CASALENOVVM in exitu vallis Dianiæ eſt extra eius fauces. Excipit eas Peregrinalis ſylua, denſitate arborum præſertim Ilicum tãtæ altitudinis, vt cælum cacuminibus attingere videantur, perobſcura, qua dein iter P. M. octo peragitur, & ob horridas rupes, aſperum & ab latronibus infeſtum. Præcelſi hic difficileſque Lucaniæ montes incipiunt, antiquis nominatiſſimi. Per eos, perque nemorum ſaltus, illa via miliariorum octo cõfecta, Lacus niger occurrit oppidum. Vide Tabellam dictam.

Saponera	8	Leſpinazo	5	Noia	10
S. Clerico	8	Murano	18	o. Corliano	19
Lationico	7	o. Caſſano	10		Simul 76.

CORLIANVM oppidum agro eſt perbono, quo paſſim horti cernuntur cultiſſimi, medicis alijſque id generis fructiferis arboribus ordine belle poſitis conferti, cum ſeptis ex Myrto, Gelſamino, Roſa, Buxo, Roſmarino Lauro ſimilibuſq; fruticibus odoriferis ac perpetuo virentibus, item cũ pergulis variarum nobiliumque vitium. Inprimis elegans eſt & mirabile hic Principis pomarium, alijs ſanę cunctis nobiliſſimarum arborum varietate cæteriſque rebus omnibus excellentius. Vide Tabellam dictam.

Roſano 5

ROSANVM civitas Sedem habet Archiepiſcopalem, & agrum amœnum fœcundumque, vitibus, olea medicis ac aliis huiusmodi fructiferis arboribus nitentem. Arbuſtulas etiam fert, quæ piper gignunt.

ITER ROMA MARINVM, VELITRAS, TERRACINAM, FVNDOS, ITRVM, FORMIAS, AVERSAM. Vide Tabellam Latij.

Torre à meza via dAlbano hoſp. 8 Marino 5 Simul 13.

MARINVM muro recenti cinctum, in Lanij, oppidi Latij ſolo ædificatum eſt: nam alterius antiquioris veſtigia extra hanc apparet: in publico ſunt bina marmora antiqua forma puellari, quarum altera, cornu copiæ tenet. Vide dictam Tabellam.

Belletri 8

VELITRÆ vulgo Belletri Volſcorum olim oppidum, antiquitate & potentia clarum eſt. Antiquitatum hic pauca viſuntur veſtigia, quamvis amplum & frequens ſit oppidum, & ædificijs excultum ſatis. Ager eius fructuum omnis generis nunc etiam ferax eſt, vt olim propter vrbis Romæ vicinitatem, villis & hortis nobilium expolitus haud dubie fuit, nominat quidem inter generoſa ſui temporis vina Veliterna Plinius, quæ tamen nunc degenerarunt, ac auctoritatem amiſere ſuam: quia propter cruditatem, auſteritatemve coqui aheno debent. Quapropter haud falſo palam eſſe contendit idem, ſua quibuſque terris, tempora eſſe, ſicut ſuus rerum proventus & occaſus. Extra portam ſunt Foſſę anguſtis foraminibus, in profundum amplæ, quales ſunt, in quibus condi & conſervari ſolet frumentum. Vide dictam Tabellam.

Ciſterna	6	Segio	5	Terracina	9
Arx Sermoneta	5	Caſe novo	2		
Aqua puza	1	Abbadia	8	Simul	36.

TARRACINA vetus fuit Romanorum colonia, Volſcorum, Anxur primum appellata, vel ipſorum lingua, vt quidam volunt, vel Græca potius, vt plures opinantur, à Iovis Anxuri fano celeberrimo & antiquiſſimo, quod ibidem conſtituiſſe Spartanos tradunt, vt & Feroniæ Deæ in Pomptinis campis, apud Circeios & Rutilos: cum ob duras Licurgi leges, exceſſiſſent patria, & poſt longos errores, in his Italiæ maritimis oris, ſedem fixiſſent. Ad tertium miliare à Feroniæ fano, inter Appiam & Circeium promontorium poſita Tarracina eſt; quã mari circumfuſam olim fuiſſe, teſtatur Solinus, nunc oppidum eſt frequens ſed exiguum. Ager latere maritimo fœcundus, & amœnus admodum eſt, olim ditium Romanorum prætorijs, villis, prædijs, ac hortis frequentibus excultiſſimus: quorum multæ ſparſim viſuntur adhuc reliquiæ atque ruinæ, quemadmodum & celebris illius portus ab Antonino Pio ſumptuoſiſſimè refecti. Appia via, ſilice ſtrata, per quam Fundos tendens peregrinus viator incedit, ibi eum detinet, ſtructura ſua eximia, & conſideratione reliquiarum antiquarum: atque imprimis, vbi in planum ac rectum Scalpris ferreis ad littus in Tarracinenſi promontorio exciſa eſt ex duriſſima caute. Stupet ſpectator admirabundus rectæ viæ planum vnius ſaxi pavimentum ſub pedibus porrectum, per paſſus plus minus viginti in longitudinem, ac trinis fere paſſibus in latitudinem: munitum quidem (vt Appia tota fuit) ab vtroque latere limbis bipedali latitudine eminentioribus, qui viatori pediti ſemitam ſiccam pręſtabant. Quibus

bus adiecti lapides eminentiores, veluti baſes quædam per decimum quemque pedem: è queis in vehicula, vel equos ſcanſio fieret commodior. Quis non miretur ſolidum ex eadem candenti rupe parietem explanatum, in ſummam altitudinem, quam per pedum decades multas characteribus numerorum magnis ſingularum decempedarum diſtantia ſculptis, curioſa vetuſtas poſteris demonſtrare voluit. Quem non delectatione adficeret graphicotera characterum illa ſymmetria, proportioque, qui æque magni, à longe, in altiſſimi parietis ſummitate, ac in imo intuentium oculis occurrunt. Quis non marmorũ ornatiſſimis veſtibus ſuis nuda nunc atque ſpoliata templa, mauſolæa, prætoria doleat: quæ tranſeuntibus ſparſim vtrimque in Appia, ſicut & in alijs Italiæ publicis vijs per viros triumphales munitis occurrunt? Sic viſum maioribus, maieſtatem ac auctoritatem Imperij Romani per terrarum orbem propagare ſummiſque laboribus ac impenſis efficere vt eius magnitudinem & potentiam timerent exteri populi, quorum principes ac Legati è tranſmarinis tranſalpiniſque provincijs, Romam ſæpius commeantes, vrbis atque Italiæ maximum cultum atque ſplendorem attoniti non poterant non admirari, Delectant igitur atque morantur nunc etiam temporis advenas quoſcumque, nec non exercent ingenia magna Romanorum operum ruinæ immenſæ, paſſim itinerantibus obviæ, quamvis admodum deformatæ. Vide dictam Tabellam.

Fundi 10

FVNDOS nunc Fondi oppidum quidem parvum ſed ſitu iucundum ad Appiam in planitie poſitum, ex ruinis antiquæ eiuſdem nominis præfecturæ ſurrexit, cuius adhuc cernuntur in vicinis paludibus veſtigia propè lacum Fundanum: ab ortu & Septentrione montes, à meridie & occaſu mare habet. Vina eius celebrata ſed ætatem non ferunt. Cecubus mons, cuius vina multis in locis ab Horatio laudantur, Fundis adiacet. Noſtro ſeculo hoc oppidum inſigni eſt clade adflictum per archipiratam Caradinum Barbaroſſam, Turcicæ claſſis præfectum. Qui illud ſubita incurſione cepit, ac civibus omnibus in ſervitutẽ abductis, & ędibus ſacris profanatis diripuit. Vide Tabellam Aprutij.

Caſt. Itro 5

ITRO vulgo Itri oppidum Campaniæ, quod alij Atrium vocant. Eſt longe inter montes extenſum. Vide dictam Tabellam.

Mola 5

FOR-

FORMIÆ vulgo Mola vetus Leſtrigonum ſedes, à Laconibus conditum, ab hormi porta primum Hormiæ poſtea Formię appellatum. Locus eſt peramœnus, horti vndique cultiſſimi, Citris, Limonibus alijſque nobilibus arboribus conſiti. Omnia quoque rivuli puriſſimarum aquarum grato murmure perfundunt, & paſſim habitationes, magna cum voluptate ducuntur, Vide dictam Tabellam.

Hoſp. Cariglano	8	Hoſp. Bagni	8	Auerſa	6
Vbi tranſmittitur fluvius Liris, vulgo dictus Cariglianò.		Caſtello	8		
		Hoſp. Patria	8	Simul	38.

Aliud Iter Roma AVERSAM, NEAPOLIM, EBOLVM, BISINIANVM, CVTRVM, CROTONEM, BESIDIAM SIVE CASTELLAM.

Formias vulgo Mola numerantur mill.	72.	Hoſp. Cariglano ad Lirim fluvium vulgo Cariglianò qui hic tranſmittitur mill.	8.	Hoſp. Patria	8
Vide dictam Tabellam.		Hoſp. Bagni	8	o. Averſa	6
		Caſtello	8	Simul	110.

AVERSAM oppidum illuſtrium Virorũ aliquot Palatijs atque prætorijs ſuburbanis excultũ. Adverſa prius appellatum fuit, eo quod ibidem olim Normanni caſtra in ruinis Atellæ veteris muniverunt, adverſus Capuam Neapolimque, medio itinere, novi huius oppidi mœnia firmantes vt duarum potentium vrbium vires ex eo loco divellerent. Fuit quidem Atella vetus ab antiquiſſimis Oſcorum populis conditum, famoſumq; imprimis ac celebre quondam, Satyricis fabulis laſcivis ridiculis atque dicacibus, quæ ab ipſo dicuntur Atellanæ. & hę quidem iocis ac ſalibus ridiculis eam auctoritatem nactæ ſunt poſtmodum, vt è municipalibus ludicris irrepſerint etiam in Theatra Romana. Vide dictam Tabellam.

o. Neapolis 9

NEAPOLITANA vrbs ſpatium complectitur magnum, poſita inter amœniſſimos colles à Septentrione

&Orien.

& Oriente, & maris ſinum à Meridie & occidente, è cuius portu Miſenus, Minervæque promontoria, celebreſque antiquitus inſulæ Capreæ, Iſchiæ & Prochytæ ſereno cælo conſpicua ſunt. Eam Cumanos vicinos primum condidiſſe, & Parthenopen à Syrenarum vna ibidem ſepulta nominaſſe, Strabo Virgilius alijque auctores conſentiunt. Subverſam deinde fuiſſe volunt ab ipſis conditoribus, cum nimium efflorеſcere & augeri, propter agri vbertatem, matremque vicinam Cumas, ſenſim ſupplantatura videretur. Sunt tamen aliorum opiniones diverſæ. Omnium tamen vna eſt opinio, eam antiquiſſimam eſſe, & ante Romana tempora celebrem, inter præcipuas vrbes Græcas Italiæ floruiſſe Pythagorica philoſophia. Cęterum creſcente per Italiam Imperio Romano, quod ſe facilius ſubmiſiſſet ea civitas, cum Campania ſubigeretur, inter liberas atque fœderatas eſt recepta: quæ deinde in amicitia fideque populi Romani conſtanter permanſit. Quin etiam adflictis Annabalico bello rebus, contra Capuam vicinam & alias perfidas vrbes, illa Romanis adhærere non ſolum non dubitavit, verum etiam Legatos per Romam mittere, pateras aureas 40. magni ponderis: imo vires, opes, & quicquid à maioribus theſauri relictum, ad Imperij vrbiſque Romæ ſubſidium in curia Senatui liberaliter & ingenuè præſentare voluit. Quibus tum actæ ſunt gratiæ pro munificentia curaque, atque vna dumtaxat patera, quæ minimi ponderis fuit, accepta eſt. Itaque propter fidem ſingularem atque perpetuam, inter civitates Italiæ liberas & fœderatas Neapolis amiciſſimè ſemper eſt habita cultaque, tam Conſulum quam Imperatorum temporibus. In hanc etiam vrbem, ſtudiorum cauſa iuventus, aut ætate confecta ſeniores, quietis & ocij cauſa plerumque ſecedere ab vrbe Roma ſolent. Cælum enim nuſquam eſt mollius aut clemētius in Italia, bis floribus annuè vernans: ager vndecumque fertiliſſimus, & varietate nobilium fructuum, fontium, aquarumque ſalubrium copia, nec non naturæ multiplicibus miraculis abundans, & prorſus inæſtimabilis eſt, vt non immerito Paradiſus Italiæ dici poſſit. Quæ tam præclaræ dotes in cauſa fuere vti hæc ſemper vrbs, ab Imperatoribus regibus principibuſque maximis atque etiam nobilibus ingenijs frequentata ſemper fuerit. Quemadmodum & noſtra hac ætate multi reguli illuſtres atque potentes viri ſua ibidem habent magnifica palatia, & ſplendidas ædes: in quibus plerumq; pro anni maiore parte degunt. Ea nunc temporis civium & incolarum nobilitate magnificentiaque non minus quam ſtructuræ ſumptibus atque ædificiorum omnis generis ſplendore celebris eſt. Etenim Caroli V. Aug. ac deinde Regis Hiſpaniarum Philippi auſpicijs, hanc mirum in modum adampliarunt, muros, propugnaculis, foſſis, turribus atque caſtellis munierunt, & quaſi inexpugnabilem fecerunt, eorum principum Legati, qui proximis annis regni Neapolitani provinciam obtinuere. Sacris etiam ædibus, & collegijs, item curijs atque principum hominumque illuſtrium palatijs mirificè vbique locorum eſt exornata. Extant & antiquorum ædificiorum priſcæ

reliquiæ plures, epitaphia, ſtatuæ, cippi, columnæ, aræ, marmoraque ſculpturis artificioſis præcioſa, quæ lõgum eſſet recenſere, inter quæ vehementer ſpectatori placent quadrati templi Caſtorum magnæ illæ ruinæ, licet incendijs deformatæ: cuius ex præclaro propylęo columnæ ſex priores marmoreæ, cum impoſito faſtigio viſuntur adhuc erectæ, ſymmetria Corinthia pulcherrima conſpicuæ, necnon amplitudine & artificio ſuſpiciendæ. Quarum capitula calathorum in effigiem efformata volutis floribus atque reflexis acanthi folijs eleganter veſtiuntur. D. Claræ templum cum parthenone ſacro, peramplum eſt, liberaliter extructum ab Hiſpana Sanctia regina, Roberti regis coniuge, quam Agnetem alij vocant. Excomptum eſt atque celebre regum veterum ex illuſtri Dyrrachyna domo ſepulchris eximijs: ſicut in D. Dominici & Oliveti montis, alijſque ſacris delubris Hiſpanorum regum, heroum aliorumque Principum ditiſſima monumenta, ſtatuæque marmoreæ ad vivum factæ. Annunciatæ Virginis Mariæ ædes donarijs locuples eſt. Huic iunctum eſt pauperum hoſpitium magnitudine atq; ſtructura municipij perampli inſtar, in quo ſupra duo millia pauperum omnis generis, ęgroti, ſenes debiles, & ad operandum impotentes aluntur, atque curantur, pro cuiuſque condicione, ætate, atque valetudine. Pluſquam octingenti vtriuſque ſexus orphani & expoſititij in eodem ab infantia & vnguiculis primis educantur, literis imbuuntur, ac artibus pro ingenio & indole cuiuſque diligenter inſtituuntur ad ætatis vſque maturitatem. Horum exercitia atque ſtudia diverſa in ſuas claſſes diſtributa, diligenter animadvertere & perluſtrare iucundum eſt. Caſtrum novum, vt nunc appellant, ante trecentos amplius annos extructum eſt à fratre D. Ludovici Francorum Regis Carulo primo Neapolitanorum Rege & Andium Comite, vt vrbi & portui adverſus maritimos hoſtium inſultus eſſet præſidio. Inſtauravit avorum memoria Rex Aragonum Alphonſus primus, Gallis expulſis, regnoque ſubiugato, maximiſque operibus ampliatum adeo munivit, vt inter Italiæ firmiſſimas arces nunc celebretur: In ea armorum atque inſtrumenti militaris copia multiplex, ſummaque varietas ad miraculum vſque viſitur in armamentarijs, in vallis & vbique locorum.

Verum in medio caſtri ampliſſimi vmbilico, refulget inſtar Palatij prætorium ingens refertum regia ſuppellectile, in quo Rex quiſpiam vel etiam Imperator cum aulico comitatu ſuo hoſpitari commode poſſet. Stupent advenę machinas, vaſta tormenta, globorum ferreorum cumulos magnos, auro argentoque fulgentes, galeas, clypeos, gladios, lanceas & reliquum Martium apparatum, ſed in prætorio perſtringunt intuentium oculos aulea holoſerica, gemmis auroq; intexta, ſculpturæ, ſtatuæ, atque picturæ artificioſæ, variuſque ſplendor ſupellectilis planè regiæ. Ovi caſtellum, propter formam ovalem, ſcopuli, marinis vndis, inſulæ in modum circũfuſi, in quo poſitum eſt, illud nomen accepit. Condita eſt hęc arx è Guilielmo III. Normanno, & inde Norman-

nicam

nicam appellatam diu fuit, reſtauravit hanc item Alphonſus primus Arragonum rex ornavitq; plurimum. Scopulum veteres Græca voce Myagram vocitaſſe ferunt, vel à plantę ſilveſtris nomine, vel ob loci atque ſitus condicionem, difficileſque elapſus, quaſi captorum muſcipulum, in eo ſunt exciſa in cautibus antra, viæ anguſtæ: atque exſtructa in ſaxis præruptis munimenta, ſimulque armorum telorumque vis maxima hic eſt. Portus ampliſſimus Neapolitanus, à tempeſtatibus præmunitus eſt, aggero latiſſimo per quingentos plus minus à littore paſſus, in mare brachij incurvi forma, procurrente. Is quidem veſtitur, atque in altum evehitur è mari quadrato ſaxo immani. Per medium aggerem fons aquæ dulcis ab vrbe Tubis ſubterraneis deductus in capite molis ſolet erumpere, cuius crater marmoreus ibidem adhuc extat. Molem, ex re nunc vulgo quoque Latina voce nominant aggerem iſtum, cuius initia poſita fuiſſe conſtat ante annos ducentos octoginta, à rege Gallo Carulo ſecundo. Adampliavit maiorem in modum operibus maximis adiectis Alphonſus primus hiſpanus, qui rex eius vrbis ædificia publica magnificentiſſimè provexit & exornavit, ſicuti etiam noſtri ſeculi Reges Carulus. V. Imp. & eius dein filius ſucceſſor Philippus ſplendidiſſime muniunt, excolunt & adaugēt, Sumptuoſiſſima extra vrbem, regia ſunt equilia, in quibus generoſorum equorum armenta ſelecta ſtabulantur atque domantur. C A S T R V M S A N T E R È M E N S E longe eſt munitiſſimum, quod in vertice vicini montis poſitum, deſpectat ac deregit vrbem, littora, portum atque maris inſulas. Exſtruxit autem illud Taruli ſecundi filius Robertus rex, ante annos ducentos quinquaginta Auxit propugnaculis magnis reddiditque quaſi inexpugnabile Carulus V. Aug. atque rex. At vero Philippus eius filius his annis præterlapſis ampliato pomœrio coniunxit vrbi, eamque prolatis mœnibus atque caſtellis, magno ſpatio novis ædificijs ſuppleto, adauxit. Medio clivo in adſcenſu montis occurrit pulcherrimum atque ſumptuoſiſſimum templum cum cœnobio Carthuſianorum peramplo Qui prius caſtrum non viderunt peregrini, non ſatis poſſunt admirari ſummis impenſis atque laboribus opera è ſaxo vivo exciſa, plura nimirum propugnacula atque caſtella, cuniculi, viæ ſcalęque iumentis æque atque hominibus commoda. Machinarum item atque armorum vis vbique magna, nec non annonæ copia inæſtimabilis; tormenta bellica prægrandia ex ære & ferro hic monſtrantur. In agro circumquaque fertili, preſertim littoreo, reperiuntur vt amœniſſima ſitu ſic ædificijs villarum ſplendidis, hortorumque pulcherrimorum ſumptuoſa cultura ꝑ principes viros exornata omnia. Quis narret ſingulatim Fontiū ędiculas; antra Nympharum atque piſcinas, corallis atque vnionum oſtreis, omnique conchyliorum varietate renitentes? Quis laudet digne porticus ambulacra ſcenas frondibus concameratas, florum fructuumque multiplici colore diſtinctas? parietes malorum punicorum tapetis veſtitos; peryſtilia & exedras picturis, ſignis, ſtatuis, & marmorum anti-

quitatumq; præcioſis decoratas, quibus horti magnatum varijs in locis reſplendent? Ex his ſunt pulcherrimi atque celebriores Marchionis vicenſis, aliorumque Principum, vt in littore maris Veſurum verſus Bernardini Martizani villa varijs antiquitatum decorata reliquijs, item ſeceſſus regalis ampliſſimum Palatium exſtructum olim à rege Ferdinando Arragonio, quod vulgati voce Pogium vocant Itali. Eo namque ſe recipere rex ſolebat, quieſcere è laboribus animumque recreare cupiens: tanquam è negociorum fluctibus in portum tranquillum. Quatuor quadratæ turres totidem porticibus peramplis in quadrum coniunctæ Palatium ſtatuunt, quod in lõgum duplici latitudine patet, Singulæ turres infra ſupraq; cœnaculis & cubiculis ſplẽdidis commodiſſimæ ſunt, è quibus patet tranſitus ab vna in aliam, per porticus illas tectas. In area media gradibus deſcenditur paucis ad fontẽ atque piſcinam limpidam, vbi per pavimentum circumquaque pro nutu domini aquarum vberes venæ ſubterraneæ per infinitas ac tenues fiſtulas artificio ductæ tam erumpunt è latebris copioſæ, vt incautos ſpectatores ſubito conſpergant, & largiſſime contra calores æſtiuos refrigerent, Aquarum enim dulcium copia fœlix & fœcundus is ager eſt propter vicinũ Veſuvium, cuius circum radices interna incendia non poſſunt non expellere frequentes dulcium aquarum ſcaturigines affatim purgatas & percollatas. E quibus Sebethus item in alveũ collectus, & aquarum caſtellum, inde per aquæductus ſubterraneos totam Neapolim vicatim fontibus irrigat abundãter adeo vti per palatia, diuerſoria & ædes etiam privatas diviſæ in plurimos digitos fonticulorũ venæ diſtribuantur, quæ vbique locorum in atrijs & cœnaculis videntur erumpere. In Neapolitani territorij tractu, ab vrbe vix 4. millia diſtans, eſt pulcherrimus atque vini Græci largitor Veſevus vel Veſuvius mons. Nam Ætnarũ flammarum imitator eſt, & aſſecla ex terræmotibus atque incendijs natus, quorum materiam in intimis viſceribus perpetuo fovet. Quæ cum annorum plurium ſpacio matureſcens invaluerit, atque ſuperabundaverit, accenſus, ſpiritibus ſubterraneis ignis montium clauſtra rumpit, intimaque terræ viſcera cum ſaxis, flammis fumis atque cineribus eructat in altum ſummo cum fragore. Conſtat experimentis multis item Vitruvij, Strabonis, pluriumque veterum auctorum teſtimonijs, eſſe ſub Veſevo, & alijs oræ maritumæ montibus atque inſulis ex ſulphure, bitumine atque alumine maximos ignes ardentes, vti oſtendunt etiam ſudatoria ſulphureique fontes bullientes, hinc Veſevus cum ignibus redundat accenditur aliquando, nonnunquam terręmotus & clades ingẽtes concitare ſolet, Exurgit Veſuvius in altum è planicie fertiliſſimorum agrorum & vicini littoris, ab alijs montibus ſeparatus. Itaque cineres eius flammis diſperſi per agros proximos, item ſaxa, glebæque ignibus excoctæ, pluvijsq; diſſolutæ, mirifica ſtercoratione lætificant & fœcundant omnia, vt nunc appoſitè vulgus agrum atque montem ipſum Summanum ac oppidum quoque quod vnum monti ſuppoſitum eſt, Summam appellet, à

ſumma

ſumma vini nobiliſſimi, atque optimorum fructuum abundātia. Veſtitus eſt enim maiore ex parte circumcirca veſevus pulcherrimis vineis, vti colles, agerque vicinus. Vertex tamen eius ex omni memoria temporum, ætatum, hiſtoriarumque ſemper aduſtis ſaxis ſterilis ac veluti flammis depaſtus manet. In medio verticis vaſta patet vorago rotunda, velut ingentis amphitheatri quædam cavea, craterem vocant à forma cuius tamen fundus in intima terræ viſcera penetraſſe conſtat cum ignium irruptio per illam olim fieret. Nunc tamen friget nec quippiam caloris aut fumi videtur emittere. Nam in barathrum illud aliqui deſcenderunt quouſque non impediebant præcipitia, vel locorum obſcuritas Superius enim crateris labrum non ſecus ac amphitheatri ſedilia declive terra, cineribuſque ſuperfuſis fertile eſt & viret abietibus magniſque arboribus, vbi Solis calor penetrat, atque cœleſtibus pluvijs irrigatur. Inferiora vero, quæ ſicut fauces contrahuntur in maiores anguſtias, rupium & ſaxorum fragmenta immania, necnon trabes & trunci prolapſarum arborum obſtruxerunt. Quas tamen obſtaculorum moles ignium materia interiore ſuperante tāquam leves palearum faſciculos funium flāmarumque vis illa præpotens, facile exturbat & in cælum evehit, Certum eſt etiam, non ſolum per craterem, ſed prout caſus aliquando poſtulat, alibi quoque vel per ima montis latebras ſibi viam incendium apperire, Sicut ante ducētos nonaginta & duos annos contigiſſe tradunt Italorum annales, cum ingens flāmarum flumen è latere mōtis erupit, atque igne liquido in mare profluxit; cuius alveum, ſcrobiumque veſtigia videri etiamnum poſſe ferūt. Atqui præter craterem habuiſſe meatus alios exituſque flāmarum antiquiſſimis etiam temporibus ex hiſtoria Romana colligitur. Nam Spartacus gladiator cum bellum fugitivorum in Campania Romanis concitare cœpiſſet, montemq; Veſevum cum ſua cohorte velut arcem ac ſedem belli primam ac tutam occupaſſet, obſidionem Romanorum, qua circumvallatus erat, rara via fefellit. Nam per fauces cavi montis, vitigineis delapſus catenis, ad imas eius radices cum ſuis deſcendit, & elapſus exitu inviſo, nihil tale opinantis Clodij obſidentiū ducis caſtra ſubito impetu diripuit. Nunc vero temporis, an per latera montis repetiantur in vineis meatus aut cuniculi vergentes in craterem, incertum eſt. meminerunt tamen aliqui, in cacumine circa craterem, plura ſe vidiſſe ſpiracula calorem continuum exhalantia vulpium foveis haud abſimilia, in quibus cum inſererent manus facile calores emergentes ſentiebant, tenues tamen, ac ſine fumo vel vapore. Vide Tabellam dictam.

Portici		Barbazona	8	Sere	7
Torre del Græco	7	Vietri	7	o. Eboli	11
				Simul	40.

EBOLVM vulgo Euoli perhoneſtum & opulentum eſt oppidum, haud procul ab amne Silaro. Vide Tabellam dictam.

La Ducheſſa	9	Caſal nuouo	15	Caſtellucio	10
Cilento	4	Rouere negro	8	o. Rotunda	5
Rofranco	10	Luria	12	Simul	73.

ROTVNDA oppidum ita conſtructum eſt, vt in formam rotundam ædificia coeant, vnde forte oppido nomen inditum, poſt hoc eſt Vallis D. Martini peramœna, fontibuſque puriſſimarum aquarũ ſcatens, de cætero in montium iugis & ſilva, & ad eius finem iucunda planicies, Campus Temeſis dicta. Longitudine multo amplius, quam in latum patet, vndique vallata montibus, aditum exitumque tantum apertum, inſtar alvei fluminis habens, vtrinque rupibus altiſſimis natura divulſis. Tota culta fructiferaque eſt, hibernis menſibus haud abſque magno diſcrimine tranſitur, contrarijs quippe ventis in collium editiſſimorum ſepro concluſis, nullo niſi per introitum egreſſumq; exitu patente, nives tam Solo iacentes, quam decidentes ita contingit agitari turbinibus, vt qui iter illa agunt, obruantur protinuſque ſuffocentur; quamobrem gnari locorum hyeme non ſolent hac proficiſci niſi tempore cæloque liquido ac puro. In exitu Campi, fauces præruptiſſimis vtrinque rupibus, vt valuarum poſtes, opere in ſaxum inciſę videantur, quæ tamen partim natura, partim arte factæ ſunt. Exhinc per anguſta confragoſaque ac precipiti via, Scalam Morani vocant, inter æditiſſimas rupes deſcenditur, cuius ad initium dextera fons apparet aquulam emittens, quæ Cochilis amnis, Straboni Syllaris dictus, principium efficit, & per horridas iſtas rupes præcipitans, ad pedem Scalæ delabitur vbi Moranum eſt oppidulum, à quo Viæ cognomentum

Moranum diſtat Rotunda mill. 10.

MORANVM oppidulum agrum vndique habet peramœnum cultiſſimumque Vide dictam Tabellam.

Seracena 4

S[illegible]NVM oppidum aliqui Seſtum olim fuiſſe opinantur. In huius oppidi agro naſcuntur vina generoſa, [illegible] nobilia, legitur hic Manna fit goſſipium effoditur plumbum, ſunt & Auri fodinę eximitur, gypſum, cuius

cuius duo ſunt genera, alterum è lapide coquitur, alterum è terra effoditur. Coquitur è lapide non diſſimili Alabaſtrite aut marmoroſo, fimo bubulo, vt celerius vratur. Omnium autem optimum fieri compertum è lapide ſpeculiari Squamam vitalem habente; ſcinditur in tenuiſſimas cruſtas, Eſt & in agro hoc Charitonus id eſt gratiæ mons Apennini, herbis medendi arti commodis oppletus, ſunt & ſiluę glandi ferę fiuntque in ijs venationes ſtabulantur & Lynces. Vide dictam Tabellam.

Alto Monte 4

Altimontium oppidum vetuſtum, edito loco, Balbia olim dictum fuit, vnde vinum Balbinũ bonitate præcipuum nomen habet, quod ſemper ſeipſo melius fieri ſcribit Atheneus, hinc vitis Balbina, alias hyblina in Siciliam allata eſt, hic emporium bis annis ſingulis celebratur, Eſt in hoc agro Beatę Mariæ Aqua formoſa cognomine Ciſterienſium monachorum cœnobium, non longe ab hoc Fano eſt vallis in cuius medio rivus labitur, & in altera parte Caſtaneæ, in altera Cirrhi naſcuntur, ita vt in hac nulla Caſtanea, in illa Cirrhus nullus oriatur, vt naturæ miraculum ſit. In hoc Balbino agro ſunt montes nativi Salis candidiſſimi, quod Lapicidinarum more cęditur, eſt pellucidus, denſus, concretione ſua æqualis nec lapidoſus, intus eſt gemma Salis candidi ac tranſlucidi. Eſt hic etiam Alabaſtrites. Extant Aurifodinæ duobus locis, Argenti & ferri fodinæ & lapis cyaneus. In huius agri Apennino reperitur Chriſtallus excinditurque Gypſum. Eſt & Balbinus ager frumenti & aliarum frugum ferax, & pabulis aptus, quem Crondus fluvius irrigat Torrentinis & anguillis vber, vbi & Lutræ ſunt. In Silvis ſtabulantur ſilveſtres quadrupedes fiuntque aucupia Phaſianorum, Perdicum, & aliarum avium. Exiſtit & ſilva glandifera, porcis alendis.

Malvetum	9	S. Agatha	4	o. Turriano	3
				Simul	16.

Turranum oppidum eſt in montibus, omnibus rebus ad vitam neceſſarijs affluens, poſt quod amnis quidam è iugis exit, in Crathidem deſinens. Vide dictam. Tabellam.

o. Beſignano 10

Besidia (Beſidianum vulgus appellat) civitas vetuſtiſſima eſt Beſcia olim dicta. Eſt ſedes Epiſcopalis. Habet

bet vrbs hæc octo colles, in medio autem vrbis mons aſſurgit, in quo eſt Arx. Affluit ſcaturiginibus aquarum, ſicut & panno frondineo. Parochiales eccleſiæ hic 15. Eſt itaque hæc civitas ſimul vetuſtate ſimulque Principatus titulo perinſignis, hic figlina nobilia fiunt omnis generis. Fiunt & cultri inter alia ferramenta, non ignobiles. Fit & oleum optimum, Xylon & ſeſama; legitur manna. Inter hortenſia laudantur Pepones; Lina hic non vulgaria.

Camiri	14	Longobuco	11	Burchiglieri	6
					Simul 31.

BOCHILERIVM oppidum eſt. In hoc agro cos aquaria probatiſſima naſcitur: & ſilex, & lapis molaris, & lapis phrygius, & gagates lapis optimus. Provenit terebinthus, aniſum ſilveſtre, Dictanum centaureum maius, & ſagapenum. Naſcuntur vbertim Pinaſtri, & alatervi. Extant caſtanea & ſylvæ glandiferæ. Fiunt venationes, & aucupia externarum: palumborum, merularum turdorum perdicum, & aliarum parvarum avium. Vide dictam Tabellam.

Bernalda 15

VERNAVDA oppidum à Vernante aëre dictum, olim Targines nomen habuit. Ager hic frugifer eſt, & paſcuis cõmodus. Fiunt vina olea & mella præclara, fit quoque goſſipium & Seſamæ naſcitur Sal foſſile. Non procul eſt clibanus mons, Viſardum vocant accolæ. Vide dictam Tabellam.

Cutro 7

CVTRVM caſtrum eſt. Hic lina vulgaria, Ager paſcuus eſt, ac Tritici & aliarum frugum ferax. Hic opera figlina. Vide dictam Tabellam.

Crotono 9

CROTONO oppidum, præſtantiſſimorũ hominum multitudine quadã prodigioſa raraque claruit, ſeptem enim vno die victores Olympiaco certamine habuit, vnde proverbium ortum. Qui Crotoniatum poſtremus, is aliorum Græcorum primus. Eam vero firmitatem corporis, & virium, Huius vrbis incolis, cæli optima conſti-

ſtitutio

tutio ſalubritaſque creabat: ideoque nec terręmotus hic vnquam contigere nec peſtilentia, vnde vetus proverbium: Crotone ſalubrius. Itaque nobilium Olympionicarum Croto frequentiſſimum olim ſeminarium fuit: & quanquam illa, cum Locris infelici pugna ad Sagram tota fere præſtantium virorum multitudo caderet adeo vt vrbs propemodum habitatoribus vaſtata iacuerit, paulatim tamen iterum crevit, præſertim propter Pythagoram, qui philoſophorum doctrinęque ſtudijs deditorum hominum gymnaſium hic inſtituit, vnde celebritas & ſplendor vrbi reſtitutus. Inprimis Milo Pythagoræ diſcipulus robore corporis omnium Athletarum longe præcipuus illuſtravit, qui cum alia innumera vix credendę fortitudinis exempla dedit, tum illud ſingulare, quãdo columnæ domus in quam cœtus philoſophorum convenerat, ruina vacillantis & inclinatæ aſſiſtens, viribuſque obnitens, labãtes ædes tamdiu ſuſtinuit, dum omnes ſalvi exirent, quæ mox ipſo quoque poſtremum effugiente, conciderunt. Idem ictu nudę manus interemit Taurum & ſublatum in humeros integro ſtadio geſtauit, eodemque die totum abſumpſit. Exitum autem miſerabilem nimia virium fiducia ſibi comparavit, nam cũ aliquando per vaſtiſſimos atque invios oberraret Saltus, ingentem truncũ cuneis adactis findi cœptum videns, inſertis in hiatũ ligni manibus pedibusque totum dirumpere conatus eſt; ſed cuneis elapſis iterum coeunte ligno manus viro incluſę reſtiterunt, qui ſic tum ſe feris laniandum præbuit. Aetate noſtra non tam vt olim frequens vrbs eſt, nec eiuſdem etiam amplitudinis, quanquam nomen celebre titulumque Marchionatus habeat. Anno 1543. Carolus V. Aug. hic iuxta littus arcem munitiſſimam inchoavit ad oræ maritumæ tutelam, quia Caradinum Solymannę claſſis prǽfectum Franciſco primo Galliarum regi auxilio venientem, circa hæc littora cõſtitiſſe locorum ſitum naturamq; ſpeculatum eſſe conſtabat. Vide Tabellam.

o. Caſtella 4

CASTELLA oppidum eſt cum portu nobili, qui caſtra Annibalis appellatur, qui hic claſſem habebat, quã cum opus erat, exercitum quo vellet traijciebat. In hoc mari Corallium piſcatur, huius oppidi ager eſt frugifer, & pabulis aptus, naſcuntur vina clara; exciditur lapis molaris, frumentarius & olearius, A Caſtellis oppido, ad ſextum lapidem occurrit Lacinium promontorium, abeſt ab Cocyntho promontorio M. P. circiter 70; A Crotone 18. habet ab occidua parte ſtationem, ab altera vero Portum. In hoc promontorio naſcuntur ſponte Cedri.

Iter Roma Belicastrvm, et Isvlam.

Vernaudam in præcedenti itinere numerantur mill. 328.	Vide Tabellam. o. Belicaſtro 14	Simul 342.

Belicastrvm civitas eſt Epiſcopalis, edito loco ſita. Hæc Chona eſſe putatur, quam Lycophoron appellat opulentam. Strabo ipſam Philoctetem, circa Peteliam à qua abeſt M.P. decem, condidiſſe ait. Ager hic frumenti & aliarum frugum ferax eſt, naſcunturque in eo vina nobiliſſima, fiuntque olea & mella optima. Non caret vrbs fontium ſcaturiginibus, extat & fons nobilis Charia dictus, quod gratioſum ſignificat, alius fons ſalſam aquam manans, ex qua fit muries, naſcuntur hic cappares. Fit goſſipium & Seſama: provenit terebinthus, gypſum ſpeculare, & marmoroſum & alabaſtrite ſimile; naſcitur etiam Rubrica fabrilis & terræ genus quoddã, ex qua fit color gilvus, item Silex; legiturque Manna, quocirca non abs re Belicaſtri nomen ei inditum eſt. Vide Tabellam.

Iſola 8

Isvla civitas eſt epiſcopalis, cuius meminit Abbas Ioachimus, licet mendoſe pro Iſulenſis Geſulenſis legatur.

Iter Roma Sebirenam, vulgo Santa Severina.

Bochilerum in præcedenti itinere numerantur mill. 313.	Vide Tabellam. o. S. Severina 20	Simul 333.

Sebirena civitas eſt nobilis ac vetuſtiſſima, ſedes Archiepiſcopalis, celſo eoque ſaxeo loco ſita, natura validiſſimum propugnaculum, ingentibus ſaxeis rupibus cautibuſque vndique cincta: imperitum vulgus eam S. Severinam appellat: hic emporium haud ignobile quotannis celebratur. Naſcuntur hic vina generoſa: Fit & oleum optimum, olivæ ad amygdalarum magnitudinem craſſæ & carnoſæ, conditæ in doliolis optimæ ſunt, viridaria Citrorum, Limorum & malorum aureorum arboribus inſtructa, hic ſpectantur. Fit goſſipium & ſeſama, provenit terebinthus, Ab vrbe ad ſecundum lapidem Nethus fluvius navigabilis & piſcoſus labi-

labitur, eſt & eodem nomine caſtrum. Hic montes nativi Salis candidiſſimi ſunt, quod lapidorũ modo excinditur, intus gemmam Salis habet. Vide Tabellam.

Cropano 11

CROPANVM oppidum eſt. Ager eius campeſtris & frugifer. Hic Amygdalarum copia, Goſſipij ac Seſamæ. Scaturit fons ſalſus, legitur Manna, naſcuntur Vina, Olea, Mella & Serica optima.

ITER ROMA TABERNAM, CATAZANVM, ET SCYLLACEVM.

Beſignano vſque numerantur mill.	282.	Vide Tabellam.		Severa	9
		Felino	12	o. Taverna	8
				Simul	311.

TABERNA civitas eſt nobilis iuxta Silam ſylvam (hic enim incipit Sila) Triſchenes vrbis reliquiæ quæ fuit civitas nobilis, magna ac populoſa, civitas Epiſcopalis, Incolæ plurimum Latinam linguam vſurpant, liberalibuſque diſciplinis, & iuri civili navant operam, atque ob gratam cæli temperiem, præclara ingenia hic gignuntur. Affluit optimatum aquarum ſcaturiginibus. Naſcuntur hic vina clara & calcanthum, & lapis ſpecularis hic effoditur. Extant ſylvæ glandiferæ & caſtaneta ſaginandis porcis commoda. Vide Tabellam.

Cantazaro 9

CATAZANVM civitas nobilis, edito ſalubriq; loco ſita eſt loci natura & inde manu munita, ſedes epiſcopalis, Novum opus: fuit enim à Fagitio Nicephori Imperatoris in Italia procuratore condita, poſt vaſtitatem eã quam vniverſa Calabria, Lucania & Apulia perpeſſa eſt, Dicta autem eſt Catazanũ à Catizo verbo græco, quod ſignificat ſedeo, quod hoc condendę vrbis loco delecto, hic conſederint, Vel à Cata id eſt, ſuper, & Zao hoc eſt vivo, & oros, ad eſt mons, quod ſuper hunc montem aeris temperie cælique amœnitate præſtantem, condita ſit vrbs; vnde Catazarum eſſet appellanda. Adeo coaluit vt hac tempeſtate inter primas Calabriæ vrbes annumeretur, hic omnis generis, & verſicolores ſerici panni, & ij optimi texuntur, quibus conficiendis textores adſunt

ſunt plurimi, telariaq; plurima in ea ſunt. In vrbis huius agro ſunt clara vina, gypſum ſpeculare, & color cyaneus; provenit terebinthus vitex & oleander; fit goſſipium, ſeſama & oriza. Vide Tabellam.

o. Squillaci 14

SCYLLACEVM civitas eſt nobilis & vetuſtiſſima ſedes Epiſcopalis, edito ac natura munito loco ſita, vndique rupibus vallata, inter duos amnes, qui ſubtus vrbem, in vnum coeunt, hęc civitas in modum Botrionis pendet in collibus, non quod difficile áſcenſione turgeſcat, ſed voluptuoſe campos virentes, & cærulea maris terga reſpiciat, hæc naſcentem ſolem, ab ipſis incunabilis intuetur, ibi ventura dies, non præmittit auroram, ſed mox vt oriri cœperit, lampadem ſuam vibrans, fulgor oſtendit. Gaudētem reſpicit Phœbum, propria illic luminis claritate reſplendet vt ipſa magis Solis putetur eſſe patria, Rhodique opinione ſuperata fruitur luce perſpicua. Aeris temperatione dotata, apricas hyemes, refrigeratas ſentit æſtates, & ſine aliquo mœrore trāſigitur, vbi infecta tempora non timentur. Fruitur marinis quoque copioſa delicijs, dum poſſidet vicina clauſtra Neptunia. Ad pedem ſiquidem Moſcij montis, ſaxorum viſceribus excavatis, fluenta Nerei gurgitis immiſſa ſunt, vbi agmen piſcium ſub libera captivitate ludentium, & delectatione reficit animos, & admiratione mulcet obtutus, currunt avidi ad manus hominum, & antequam cibi fiant, eſcas expetunt, paſcit homo delicias ſuas, & dum habet in poteſtate quod capiat, frequenter evenit, vt repletus omnia derelinquat. Spectaculum quoque pulchre admirantium non adimitur in civitate ſedentibus. Cernuntur affatim copioſę vindemiæ arearum pinguis tritura conſpicitur, olivarum quoque virentium vultus aperitur, non eget aliquis agrorum amœnitate, cui datum eſt de vrbe cuncta conſpicere. Celebratur hic nobile emporium annuatim. Fiunt hic figlina opera inſignia, vtpote patinæ, lances, diſci, & alia id genus. Fiunt & vina olea mella & lina optima; ſunt aurifodinæ argenti marmoriſque. effoditur gypſum trigeninm, ſpeculare, marmoroſum & alabaſtrite ſimile, ſive vti quibuſdam placet Alumen ſciſſile. Fit goſſipium Seſama & oriza cum libet, naſcitur & triticum laudatiſſimum, terebinthus vitex & oleander. Sunt in hoc agro pagi STALARVM, à ſtalizo ſtillo, & mons ſive promontorium eodem nomine MOSCIVS olim dictus, hic Tubera producuntur & Aſparagi omnibus menſibus anni, intyborum campeſtrium fimbrię dulces ſunt.

ITER

ITER ROMA SALERNVM, CONSENTIAM, MATIRANVM, NEOCASTRVM, SORIANVM, STYLVM.

Neapolim vſque numerantur mill.	119.	Portici		o. Salerno	10
Vide Tabell. Pugliæ planæ.		Torre del Greco	6		Simul 143.
		Barbazona	8		

SALERNVM nomen ab amne Silare traxiſſe cõmutata I litera in A ſcribitur. Coloniam eo deductam, quo tempore Buxentũ quoque Livius auctor eſt, incrementa ſub Roberti Guiſcardi eiusque fratrum ac liberorũ imperio maxima cœpit, quando plurimæ magnificę domus, ad collis radices, cui civitas inſidet, iuxta littus ædificatæ ſunt, inſtar honeſti ac elegantis vici, qui poſtea mœnibus veteri vrbi coniunctus, vti nunc apparet. Templum etiam illud nobile D. Mattheo Apoſtolo, cives illis temporibus erexerunt. Intra muros in collis latere, qua meridiem proſpectat ad mare, cultiſſimi, amœniſſimique ſunt horti, quod etiam Strabo teſtatur, aquulis paſſim gratiſſimo cum murmure labentibus irrigui. Malorum medicorum hic omnia genera cernuntur, communium ingentium, parvorum, dulcium, acrium, ſaporis medij, quorum arbores item perpetuo ac ſimul flores pomaq; tam matura, quam agreſtia ferunt. Nec minor eſt Limonum abundantia, varietas item maxima magni craſſique tanquam citria, vulgares orbiculati, faſtigiatiq; peponum inſtar, acidi, cum anima vel ſine, ſpongioſi vel denſi, præterea quidam in arboribus adhuc admodum exigui, quibus peculiare amplius in magnitudinem non augeri Quid mala Citria? quanta horum formæ varietas rotunda, longa, faſtigiata, bifurca, trifurcaq; ſunt, quædam ingenti magnitudine, cætera mediocri, multæ præterea diverſę ſpecies ab artifice natura progenitæ. Dependent etiam hic ſuo anni tempore nobiliſſimis ex arboribus punica peringentia, quę regionis incolę vocant Alofilia, ſapore dulcia, acria, media, cum Perſicis procopijs tanta plerumque craſſitudinis, vt vulgares Pepones æquent. Cætera fructuum genera, prunorum diverſiſſimorum, poma, pyraque ac ficus aliaque ſimilia conſulto prætereuntur. Vitium eleganti, generoſo ſucco nobilium, oratione vix exprimi queat, breviter cum intra muros vrbis, tum circuniecto in agro, tam amœna lætaque loca vndique ſunt, vt inter præcipua celeberrimaq; totius Italiæ haberi debeant. Nec minor ingeniorum vbertas hac in vrbe ſemper fuit. Gymnaſium quoq; diſciplinarum omnium hic eſt. Vrbs Principatus titulum ſuſtinet. Vide Tabellam Aprutij.

Hoſp. Taverna		Cilento	4	Semonda	9
Pinta	10	Rofranco	10	o. Tartore	10
Evoli	9	Caſele	15		Simul 87.
Hoſp. La Ducheſſa	9	Rocca glorioſa	11		

TVRTVRA oppidum eſt edito loco. Eius ager pabulis & venationi & aucupio aptus: Sunt & in eo ſylvoſa loca: legitur Manna: Fit Saccharum, naſcitur Oriza & ficus optimę: hic optima quoque vina ſunt: prætereaque effoditur chalybs & ferrum. Vide Tabellam.

Bernicaro 10

VERNICARIVM oppidum eſt à vernante aëre ita dictum, forte Apluſtrum Plinio. In eius agro ſunt ſylvæ ad domorum tigna & navium fabricam aptæ; provenit hic Therebinthus, reperiunturque Teſtudines terreſtres. Vide Tabellam.

Montealto 15

MONS ALTVS civitas eſt in monte. Agrum colit vna cum finitimis vini fructuumq; reliquorum fertilem, Moris item arboribus abundantem, quarum fronde vermiculi, qui Sericum faciunt enutriuntur. Incolæ regionis plerumque fortunis inopes, moribus agreſtes ſunt: Speluncis fere rudi admodum opere in montes excavatis habitant, abſque Caminis, itemque Cloacis ad ſordes alvi exonerandas: nec eiuſmodi Seceſſibus in vicis oppidiſque ſolum, ſed etiam in præcipuis vrbibus vulgo carent. Maximarum tamen civitatum hac in re quædam eſt vrbanitas, vt vaſis fictilibus, quæ Cantharos vocant, onus ventris excipiatur: quanquam ea rurſum alia incivilitate non ſoleant evacuare niſi plena, medijſque in vijs publicis, vt intolerabili prope faſtidio putor ſit eorum odorum inſolentibus. Quinetiam oſtiorum Seræ & claves in illis antris vti plerumque ſunt vicorum & oppidorum habitationes, è ligno fabricantur. Duæ huius rei rationes eſſe poſſunt, vna quod hę partes minimè frequententur advenis, præterquam negotiatoribus, ijſque paucis, qui ad Vinum, Sericum, Mannam, cæteroſque fructus hic naſcentes exportandos, commeare iſthuc ſolent. Altera cauſa eſt ſumma hominum egeſtas, paganorum maximè, quorum inopia, cum ferri ſumptum non fert, tum clauſtra fortia non requirit. Perexiles equidem prędas facturus hic eſſet miles, ob inopiam & tenuitatem incolarum ſingularem, quando in aliquibus domibus, vl-

tra vini Seriolam, lectulum ex ſtramento, menſam nudam, pauca quædam vaſa fictilia, fructuumque pro diurno victu modicum, omnia cætera deſiderare plerumque liceat. Caminis in domibus non vtuntur, propter frigoris in hac regione, quemadmodum & in Sicilia mediocritatem. Enimvero cũ ignis neceſſaria de cauſa ſuccenditur, fumus vniverſam domum occupans, ingentem exhibet moleſtiam inaſſuetis, & aut per feneſtras, aut per oſtium egreditur. Aliquibus tamen in locis paulo maius eſt lautitiæ ſtudium, & vel in coquinis quandoque, vel in conclavibus ſpiracula fumi conſpiciuntur. Cum ęgrotãtibus igne opus eſt, carbones in vaſis aëreis accenduntur, ita neceſſitati fit ſatis. Sex ſupra Montealtum mill. Pandoſiæ veſtigia cernuntur, antiquæ vrbis in monte. Eſt hæc illa Pandoſia prope quam Alexander Epirota, fatali caſu miſerrimè perijt, vti à Livio perſcriptum eſt. Vide Tabellam.

Renda	4	Coſenza	7	Simul 11.

COSENTIA civitas nobilis, divitijs pollens & vetuſtiſſima, inter Crathim & Baſentũ amnes ab Auſonijs, aut certe ab Oenotrijs condita, ſita eſt declivi loco. Ab vrbe ad orientale fretum vallis eſt amœniſſima ad XL. P. M. lõgitudine, Crathi fluvio nobili & piſculento, alijsq; plurimis fluvijs qui Crathi miſcentur irrigata, ac crebris oppidis in Speculis collibusque ſitis ac villis vndique cincta, Quę vallis rerum omnium vbertate refecta eſt, nam frumenti & alicubi Siligni s & aliarum frugum ferax eſt, in ea omnis generis fructus optimi, in quibus caſtaneę laudantur, non quæ ex nativis ſed ex inſitis Caſtaneis proveniunt, vnde & inſertas caſtaneas vulgus appellat, hic item hortenſia non vulgaria, ac vina, Olea, Mella, Lina, Cannabis, Goſſipium, Seſama clara, legitur paſſim Manna. Extant & læta pabula, in Planis aucupia, in montibus venationes perpulchræ fiunt. Sunt & Silvæ glãdiferę & ſilveſtres. Fluvij omnes, quibus planicies hæc ex vtraq; parte irrigatur piſcoſi ſunt, in quibus, præter cæteros piſces Torrẽtinæ capiuntur. Eſt Cõſentia ſedes Archiepiſcopi cui Montaltina ſedes cõiuncta. Fuit Cõſentia, ait Strabo, Botiorũ metropolis, quã Annibal capta petelia expugnavit, quę ante annũ cum multis circũvicinis vrbibus in fidem P. R. redijt vt ſcribit Livius. In Baſenti alveo ſepultus eſt Alaricus Gothorum rex, qui Radageſo fuerat ſuffectus. Conſentia depopulata & cõbuſta eſt ab Agarenis anno à virgineo partu DCCCCLXX. hic nobile emporium quoto quoque anno celebratur, fiunt opera figlina & præter reliqua ferramenta, cultri. Quod hæc civitas in vmbilico fere Calabriæ ſit, & rerum vbertate polleat regiones præſes reſidet hic. In Conſentino agro Pomus biferra erat, ſcribit Varro rei ruſt. lib. primo, quam Plinius libro 15 triferam fuiſſe ait. Naſcitur in hoc agro vinum bonitate mirificum. Laudantur præter cætera hortenſia Intubi ſative, & Braſſicæ. Fit hic

hic Coriandrum & fœnogræcum, naſcuntur Caſtaneæ, quas inſertas vocant, quod ex inſitis Caſtaneis fiant, ſunt enim craſſę & oblongę. Secundum Conſentinam arcem, quæ imminet vrbi Aurum, Argentum & Plumbũ effoditur. Eſt in hoc agro Sila ſilua pice terebinthina nobilis, eſt & crebris & ijs piſculentis fluvijs frequens, quorum Torrentina laudatiſſimæ ſunt. Arborum mira eſt frequentia ac varietas, nam alicubi Pinaſtri frequentes tantum naſcuntur, alicubi Tedę crebrę alibi aliud arborum genus, Atque ita tam vaſta ſiiva arborum varietate diſtincta eſt, vt id naturæ opus mortalium ſolertia diſtributum videatur. Eſt & ſilua hæc venationi & pabulis mirifice acommodata. In loco Miliano dicto, Sal foſſile, in loco cui Machia germana nomen, Aurum & plũbum, in colle nigro dicto lapis molaris naſci fertur. In hac quoque Silua frutex Rubo minori ſimilis, fructus fert ſimiles fragis, paulo minores, guſtu ſuaves, Faboſos vocant. Naſcitur & arbor cacomalum vocant, fructus ferẽs ſimiles prunis colore electri. Sunt in Conſentino agro pagi circiter centum quorum plerique ſunt oppidis magnitudine pares. Omnes autem in XXII. Prætorias ſive totidem corpora diſtincti. Vide Tabellam

Chamſeda	7	o Marturano	9	Simul 16.

MARTIRANVM civitas eſt vetuſta, ſedes Epiſcopalis. Fuere Mamertini viri bellicoſi, Romaniſque amici & ſocij fideliſſimi Qui primi ac ſoli abſque Romano Duce aut milite Pyrrho ex Sicilia à Tarẽtinis adverſus Romanos accito occurrerunt, vt Plutarchus ſcribit. In Mamertino agro vinum generoſum naſcitur, fit & mel, & Sericum optimum; naſcitur & lapis molaris, & lapis Phrygius calcanthum, rubrica fabrilis, & color cyaneus. Vide dictam Tabellam.

o. Nicaſtro 10

NEOCASTRVM civitas ſedes eſt Epiſcopalis cum emporio nobili, edito penſilique loco ſita, fontibus riviſque affluens. Eius ager eſt frumenti & aliarum frugum ferax, & paſcuus: ſunt hic per pulchra Limonum, citronum, & malorum aureorum nemora, abundat & omnis generis fructibus, etiam optimi olei vbertate, vino & melle, naſcitur quoq; rubrica fabrilis; provenit & inniperus. Fiunt multarũ avium pulchra aucupia. Extat & ſylva glandifera, ad porcos alendos oportuna. Vide dictam Tabellam.

o. Suriano - 10.

SORIANVM oppidum penſili loco ſitum eſt. Hic figlina opera fiunt haud ignobilia, variaque vaſorum genera,

genera, humani generis vſui accommodata. In hoc agro gypſum è terra foditur, quo vtuntur figuli, exciditur & lapis molaris frumentarius & olearius, ſunt & ſylvæ glandiferæ alendis porcis, & pabulo venationi atque aucupio commodæ in agro pagi Baſilium & Barbara. Vide dictam Tabellam:

Belaero	6	Francavilla	6	Simul 25.
Mont ſanto	5	Stillo	9	

STYLVM oppidum eſt nobile cum annuo emporio, ędito loco ſuper ſaxum; à Stylon hoc eſt columna dictum, quod Stylarum flumen adl bitur, à quo oppidum nomen ſumpſit, cui mons imminet celſus. Conſulinum olim dictum fuit. In hoc agro fit Goſſipium & Seſama; fiunt & lina clara, naſcuntur hic cappares, crocus, & ſiliqua ſilveſtris, terebinthus, naſcuntur & herbę medicinales, vt panax trigena, aſtrolochia, centaureum, chameleon, daucus, ſticas, hipociſtus, turbit, pencedanum, pyretrum, Hypericon, chametreos, ameos, cyperus ſtaphyſagria, & aliæ multæ. Effoditur æs calcanthum, rubrica fabrilis, & lapis ophites optimus eius generis, quo columnæ, quæ in Romano pantheo extant: argentum & ferrum tribus locis; conflatur & nunc hic ferrum. In hoc agro pagi ſunt PATIANVM, vbi aurum, argentum & cyaneus color reperitur, hic quoque ferri fodinæ: CAMENVM, vbi Tubera naſcuntur: STENIANVM, vbi lapis molaris, frumentarius & olearius reperitur: & REATINVM, oppido par.

ITER ROMA CAVLONIAM.

Sorianum in itinere pręcedenti numerantur mill.	302.	M. ſanto	5	Caulonia	5
Beloaro	6	Motta goioſa	10		Simul 332.
		Sagriano	4		

CAVLONIA vrbs fuit olim nobiliſſima; nam hanc & Phegium, Locrum, & Crotonem clariſſimas vrbes fuiſſe tradit Polybius. Caulonia, dicta eſt, quod ob loci ſalubritatem rerumq; opulentiam præcellat, Vina hic bonitate mirifica, olea & mella clara, Caſeus & h ppaces laudatiſſimi. Figlina hic fiunt non vulgaria, naſcuntur hic goſſipium Seſama Cappares cerebinthus, provenit gypſum, magneſia lapis, rubrica fabrilis, Sal na-

R tivum,

tivum, plumbum & aurum. Extant ſilvæ, in quibus venationes aprorum aliorumque ſilveſtrium animalium fiunt. Sunt hic etiam teſtitudines & Erinacei. A Caulonia ad 4 lapides eſt Pacanica oppidum quaſi Panaca id eſt ſalutaris; hic fit Xylon & Seſama, naſcunturque Cappares & hematites. Inde eſt Moneſtereacum tenue caſtellum, vbi caſeus probatiſſimus lina quoque clara; naſcitur quoque Goſſipium Seſama & Cappares.

ITER ROMA CASTROVETVM ET AROCHELLAM.

Sorianum in itinere præcedenti numer. mill.	302.	Vide Tabellam.		C. Vetro	13
		Beloaro	6		Simul 321.

CASTROVETVM oppidum edito ſalubrique loco ſitum eſt, inter Alarum & Muſam amnes Torrentinis & anguillis fœcundos, vndique Rupibus ſeptum. Vide Tabellam

Motta Subalina	9	Arochella	14	Simul 23.

AROCHELLA oppidum eſt ad mare, edito loco eoque natura munito ſitum. Amphiſſa olim dictum fuit, mare hic aliquibus locis ſaxoſum eſt. Piſcatur hic Corallium. Fit in eius agro Pylon, Seſama, proueniuntque ibi Cappares. Secundum flumen naſcitur Aurum.

ITER ROMA ARENAM, FRANCICAM, ET CRIPTERIAM, vulgo GROTARIAM.

Neocaſtrum vſque numerantur mill.	292.	Vide Tabellam Pugliæ planę.	o. Aręna	10
				Simul 312.

ARENA oppidum edito loco ſitum eſt. In eius agro olearum ingens eſt numerus, vt ſilvæ prope videantur vnde & magna olei copia fit. Extant & caſtaneta ingentia, & ſilvę ad domorum tigna & navigiorum fabricam apta; fit & ſericum optimum; naſcitur ſaxifragia lapis molaris. Vide dictam Tabellam

o. Fran-

o. Francica	5		

FRANCICA oppidum eſt & emporium nobile, ſerici laudatiſſimi: optimis lymphis fœcundum. Ager Frãcicanus pene totus campeſtris, & pulla tellure frumenti & aliarum frugum ferax. Fiunt in hoc agro olea & vina non vulgaria, item phaſianorum, externarum, palumborum, phaſſarum, (torquatos vocant, incolę) ruſticolarum (reverſiones appellant) & gallianiginum & ficedularum & cornicum aucupia. Naſcitur hic radix dulcis, radix tinctoria, raphanus & phiſon herba ea, quam annonium vocant, & aliæ medicinales herbę nonnullæ, hic circiter Annum Chriſti M.D.VI. magna ſtrages Gallorum edita eſt. Vide dictam Tabellam.

Pregezzano	10	o. Grotaria	10	Simul 20.

CRIPTERIA vulgo Grotaria oppidum edito ac penſili loco ſuper ſaxum conditum, olim caſtrum Minervę dictum fuit, hic emporium in ſingulos annos celebratur, Fiunt olea mella & ſerica clara & fructus optimi, & amygdalarum copia; extant & horti nemoroſi Limonium, citriorum & malorum aureorum, arboribus inſtructi. Sunt & ſilue glandiferę ad porcos alendos oportunæ, naſcitur marmor & plumbum & aurum. Provenit terebinthus & Siliqua ſilveſtris. In hoc agro pagi ſunt Mammola vbi fiunt figlina opera, hoc eſt Pilę & huiuſmodi è terra ſubrufa; item Ioanum pagus cum fluvio & Mariotonum.

ITER ROMA BELIFORTVM, HIERACIVM, BRANCALEONEM.

Neocaſtrum vſque numerantur mill.	292.	Laconia	8	Simul 312.
		o. Belforte	12	

BELIFORTVM vulgo Belforte oppidulum edito loco Subicinum Antonino Pio in Itinerario dictum Medana fluvio adlabitur. Secundum ædem Carthuſianorum, naſcitur lapis obſidianus, ex quo fit vitrum optimum. In agro monaſterij lapis Ophites cæditur, granitum vocant Scalptores, non longe à monaſterio lapis Specularis naſcitur. Vide dictam Tabellam.

Panaria	5	o. Gierazo	16	Simul 21.

HIERACIVM vulgo Cierazo vetuſtiſſima ac nobiliſſima eſt civitas. Exuberat aquarum ſcaturiginibus, & ijs optimis. Eſt & fons Francica dictus, cuius aqua eſt bonitate præcipua. Extant & Balnea clara: ſunt etiam ſulphureæ aquæ & ſalſæ, multis morbis vtiles; conferunt & mulierum ſterilitati. Fiunt hic figlina opera nobilia, patinæ, gutti, capſates, amphoræ, lances, diſci, cannæ, & alia id genus. Fit & Sericum & oleum nobile; legitur manna; oriuntur cappares, naſcitur rubrica fabrilis, & lapis molaris frumentarius & olearius; item magneſia, ſilex, & lapis gilvus, quo figuli vtuntur; provenit rheuponticum, fit goſſypium & Seſama. Vide dictam Tabellam.

o. Bianco 20

BIANCVM oppidum edito loco ſitum eſt, diſtat à freto milliario cum dimidio, à Zephyrio promontorio M. P. tribus hic vinum bonitate mirificum naſcitur, album & auſterum, ſemper ſeipſo melius, cuius & magna fit copia. Sunt in hoc agro ſilvæ glandiferæ alendis porcis cõmodæ, naſcuntur Cappares; reperitur cos aquaria probatiſſima. Eſt & Caſignana pagus. Inde eſt Potamia oppidulum cum melle ſpectato, abeſt à freto P. M. ſex, hic tubera naſcuntur & lapis phrygius. Vide dictam Tabellam.

c. Brancalione 7

BRANCALEONVM puſillum eſt caſtellum in montis ſupercilio, hic eſt mel optimum, goſſipium & Seſama. Fiunt hic aprorum & aliarum quadrupedum venationes & minutarum avium aucupia, naſcuntur Tubera, provenit terebinthus, effoditurque lapis molaris frumentarius & olearius, item Magneſia lapis quo vtuntur figuli.

ITER ROMA POSSIDONIAM, PISCIOTTAM, POLICASTRVM, DINVM, SCALEAM, CERILLI, BLANDAM, SANBONIFATIVM, CETRARIVM, VARDIAM, PAVLAM, AMANTHEAM, SANEVPHEMIAM, MAIDAM, POLYSTENAM, CREPACORIVM, ET BOVAM.

Salernum vſque numerantur mill. 143.	Vide Tabellam Lucanię.	o. Preſto 11
	Capacia 7	Simul 161.

Possi-

POSSIDONIA alias Peſtum vulgo Pieſto, civitas eſt vetuſta à Sibaritis condita, de ea Livius plurimis in locis memorat præcipue Alexandri Epirotarum regis iter referens. Tanta hic cæli clementia, vt biferę hic Roſę arboreſque cæterę ſunt. Nunc extincta prope tota iacet, veſtigiaq; tantum partibus quibuſdam ſuperſunt antiquorum ædificiorum. Vide dictam Tabellam.

Giropoli	7	Torre di mare di rueca	8	o. Piſciota	11
Caſtello del Abbate	4				Simul 30.

PISCIOTA oppidum eſt in maris Tyrcheni littore quod Buxentum à Plinio Mela, Silio, Ptolemęoque deſcriptum eſſe putatur, dictum id fuit à Buxo, cuius hic vbertas eſt mirifica. Vide dictam Tabellam.

Gioia	10	Centola	10	Policaſtro	8
					Simul 28.

POLICASTRVM nobilis eſt vrbs, Ducatus titulo inſignis. Vide dictam Calabriæ

Hic transmittitur Sinus Policaſtri, navigaturque Dinum diſtans Policaſtro mill. 15.

DINVS portus eſt & eiuſdem nominis inſula, paulum à continenti diſtans, in qua cuniculi ſtabulantur, & circum Corallium piſcatur; fit hic quoque Trichiarum & halecum captura Saleque in cadis condiuntur. Sunt & retia Thynnaria. Vide dictam Tabellam

o. Scalea 5

SCALEA oppidum Talaus olim dictum fuit. Ad Sinon eſt. Scaleanus ager frugifer & venationi, aucupio ac pabulis aptus eſt. Extant hic ſylvæ glandiferæ, & ad fabricandas naves, domorumque tigna commodæ. Fit & in hoc agro Saccharum & Xylon; naſcitur plumbum, vinumque præcipua bonitate. Vide dictam Tabellam.

o. Cirella 8

CERILLI ad mare ſitum, oppidum eſt vetuſtum. In Cerillenſi agro vinum bonitate mirificum naſcitur, quod

quod Romæ habetur in prætio: ſubeſt & oleum clarum, ex oleribus cepæ laudantur. Mare hic piſcoſum eſt, vbi Thinni & alij nobiles piſces capiuntur. Vide dictam Tabellam Calabriæ.

o. Belveder 5

BLANDA oppidum eſt ad mare, edito loco ab aëre blando ſalubrique Belveder vulgo dictum. In Blandinenſi agro fit Saccharum, goſſypium, & ficus generoſa; naſcuntur & vina, olea præclara, & tubera fit Sericum nobile. Vide dictam Tabellam.

S. Bonifacio 1

SANBONIFATIVM oppidum, Hyela civitas fuiſſe putatur, hic fit caſeus laudatiſſimus. Sunt hic quoque pulchri ovium greges, vinum, ſericum nobile, ac ficus optimæ. Vide dictam Tabellam.

o. Cetraro 8

CETRARIVM oppidum eſt edito loco, ſuper, ſaxum, mari incumbens; Lampetia olim dictum fuit. Hic navale eſt, vbi Triremes fabricantur. Fit hic olei optimi magna copia, naſcunturque ficus laudatiſſimæ, coquitur hic Gypſum è lapide provenitque Vitex & feniculus marinus. Vide dictam Tabellam.

A. Guardia 4

VARDIA caſtellum eſt in montis vertice paululum à mari ſemotum, cum balneis non vulgaribus, à tranſmontanis habitatum. Hi bilinges ſunt, nam ſua & Latina lingua vtuntur. Sed cum nuper Lutheri doctrinam amplexi eſſent, omnes fere ſuſpenſi fuerunt. In hoc agro gypſum naſcitur. Extant & ſylvæ glandiferæ. Vide dictam Tabellam

o. Paula 6

PAVLA oppidum Patycis olim dictum fuit, incolæ Patycitæ. Fons hic nobilis eſt. fiunt hic vina clara, & dulcia; vernatica dicuntur, auſtera quoque, laudanturque cepuria. Figulina opera præſertim Phialæ & ollæ hic factæ laudantur. In hoc agro lapis molaris excinditur frumentarius & olearius. Mare hic piſculentum eſt, in quo verriculis ingens piſcium copia, necnon & Corallium capitur. Vide dictam Tabellam.

S. Lucido

S. Lucido 5

SANLVCIDVM caſtrum eſt generoſo vino inclytum. Vide dictam Tabellam

o. Freddo 5

FLIGIDIVM vulgo freddo oppidum eſt freto imminens, quod eiuſdem nominis fluvius alluit, hic optimi Serici numerus immodicus fit ? naſcitur & vinum haud vulgare. Sunt in hoc agro Silvę glandiferę, porcis alendis commodæ. Vide dictam Tabellam.

o. Belmonte 4

BELLIMONTIVM oppidum à loci amœnitate ita dictum in tumulo ſitum eſt, miliario à mari, hic excinditur marmor. Sunt & hic horti nemoroſi Citriorum & Malorum aureorum ; præterea fructus omnis generis & hi præcores. Vide dictam Tabellam.

o. Manthia 4

AMANHEA munitiſſima eſt civitas cum inſigni arce. Manthianorum inclyta conſtantia fideſque in Arragoniam domum eſt, quoniam quo tempore Carolus VIII. itemque Ludovicus XII. Galliarum reges vniverſum fere Neapolitanum regnum ceperant. & Arragonij reges tres Alphonſus alter, Ferrandinus, & poſtea Federicus quoque profugerant, quamdiu vel minima de reditu eorum ſpes fuit, nulla ſe adduci ratione paſſi ſunt, vt Arragonij nominis ſigna demolirentur, & in alienum imperium ac poteſtatem concederent. Atenim ijs omnibus extinctis in dictionem Ferdinandi regis Arragoniorum tranſiere, per quem demum in Caroli V. Imp. Aug. poteſtatem ſunt tranſlati. Vide dictam Tabellam.

Canſcelloni 5 Nocera 6 o. S. Euphemia 8

SANCTEVPHEMIA oppidum propinquo mari cognomen dedit Sinus enim hic Sancteuphemianus appellatur, inter Promontorium, quod Caput Suberum vocant, & agri Tropiani fines. Ingens hic maris tractus eſt. Littore maris, à Paula oppido vſque ad Sancteuphemiã probatiſſimum coralium invenitur. Planities dein ad hunc Sinum peramœna ſternitur, tota culta conſitaq; fructiferis arboribus, inter Sancteuphemiam, Nicaſtrũ Maidam & Laconiam. Vide dictam. Tabellam.

Aqua

Aqua della Sicha	8	Burello	11	o. Maida	3
					Simul 22.

MAIDA oppidum edito eoque amœno loco ſitum, nobile frequens & honeſtum eſt, iuxta collem modicum ſub Appenini radicibus, hic vina & mella laudata fiunt. Ager hic totus prope in planitie eſt, frumenti & aliarum frugum vber, pabulo, aucupio & venationi commodus. Naſcitur gypſum marmoroſum. Eſt & fons, ſalſam manans aquam, ex qua muries fit. Vide dictam Tabellam.

Poliſtena 10

POLYSTINA oppidum Cherapotanus fluvius torrẽtinis & anguillis vber influit, & iuxta Bracalis fluvius alter labitur. Affluit bonarum aquarum ſcaturiginibus, hicque fit optimi ſerici copia, fiunt quoque ceparia clara, ac lina laudata; vina item optima hic naſcuntur, Nundinę bis annis ſingulis hic celebrantur. Laudantur huius oppidi ſepatiæ candelæ & telæ. Fiunt in hoc agro phaſianorum & externarum, & coturnicum avium aucupia. Vide dictam Tabellam.

Crepacore 16

CREPACORIVM caſtellum eſt, edito loco, cum melle ſpectato, fortaſſe olim Samos dictum fuit; per hæc enim loca Samij condiderunt Samum vrbem. In eius agro vicus eſt Agatha, vbi cos aquaria eximitur. Vide Tabellam dictam

Caſtitio 18 Merolit 6 o. Bova 5.

BOVA in montis cacumine ſita Epiſcopalis eſt civitas, in hoc agro eſt Africum pagus. Fit hic caſeus laudatiſſimus, item vina olea & mella præclara. Extant & ſilvę glandiferę ad porcos alendos commodę, hic Accipitres multigeni. Fiunt & coturnicum aucupia non vulgaria.

ITER ROMA MONTILEONVM, MILETVM, SANGEORGIVM, QVINQVEFRONDIVM, TERRAM NOVAM, OPEDVM.

Saneuphe-

SanEuphemiam vſque numerātur in itinere Roma Poſſidoniam, &c. mill. 306. Vide Tabellam Calabriæ.

Aquanea	8
o. M. Leone	9
Simul	319.

MONTILEONVM oppidum HIPPONIVM olim dictum ab Hippone heroe vt vult Stephanus. Fuit hæc vrbs olim opibus ac gloria, vel portu inclyta, hanc & Rhegium inter ſeptem illuſtriores & opulentiores Italiæ civitates, quæ ſubſtantia & domorum pulchritudine pavimētiſque præſtabant, ſcribit Appianus. Fuit quoque Romanis amica, ſocia, coloniaque Romanorum civium perilluſtris, ad quam mille ſeptingenti pedites & trecenti equites ivere. In bellis civilibus hipponium Cæſaris partes eſt ſequuta, cuius naves hic à Pompeianis combuſtæ ſunt, vt Cæſar ipſe prodidit libro Bellorum civilium quarto. Erat hipponi magnificentiſſimum Proſerpinæ fanum, plurimis marmoreis columnis ornatum, quas Rogerius Guiſcardus Calabriȩ Princeps Miletum tranſtulit. Celebratur hipponij nobile emporium ter in annos ſingulos. Ager hic frumenti & aliarum frugum ferax eſt. Fit Saccharum & Seſama, & oleum clarum hic fiunt Perdicum & Phaſianorum aucupia, extāt hic verricula thynnaria. Sunt in hoc agro pagi: Piſcopium, Gregorianum, Vena, & iuxta vena iterum Treparinum, vbi lapis ſpecularis reperitur, Longoburgum cum Linis non vulgaribus. Vide dictam Tabellam.

Melito 5

MILETVS civitas vetuſta, inter duos amnes edito loco eſt, è Mileſijs Aſiæ populis condita, hic Rogerius Guiſcardus, Roberti ex fratre nepos Calabriæ Princeps, nobile templum Divo Nicolao extruxit ornavitq; marmoreis columnis, quas ex hipponio apportauit. Anno humanȩ ſalutis M.CLXXXXV. Gregorius huius nominis ſeptimus Pontif. Rom. hipponio & Taurino ab Agarenis erutis, in epiſcopatum evexit, & magnis proventibus ditavit. Condidit etiam Rogerius Guiſcardus anno virginei partus M.C.II in Mileti ſuburbijs, in ſpecula, magnificentiſſimum ſanctæ Trinitatis templum, quod marmoreis columnis ex hipponio allatis ſuſtentatur, hic Rogerij corpus in nobili marmoreo Sarcophago conditum eſt; mercatus annuatim celebratur Mileti. Fiunt hic Lagenæ concinnanturque boum coria. Eſt Melitenſis ager frumenti & aliarum frugum ferax; fit olei copia: excinditur gypſum marmoroſum, & ſpeculare naſcitur Siſon, quam Aromatarij & herbarij Amomum eſſe opinantur. Vide dictam Tabellam.

S. Georgio 15

GEORGETVM oppidum eſt in Apenini radicibus, celſo tamen ſalubriq; loco. Morgetum ſiue Morgetia olim dictum, à Morgete conditore. Vide dictam Tabellam.

Cinque frondi 4

QVINQVE FRONDIVM caſtellum eſt in Apenini radicibus A Cheropotamo flumine, quod anguillis vber eſt alluitur, creſcunt hic vina non vulgaria, fructuſque optimi. Extant hic horti nemoroſi Limonum & Malorum aureorum. Scaturiunt. Sulphureæ aquæ; Fiuntque venationes. Naſcitur in ſilvis Laburnum arbor. Vide dictam Tabellam Calabriæ.

Terra noua 6

TERRA NOVA oppidum nobile eſt, edito loco quaqua verſum rupibus ſeptum, in Apennini radicibus, quod Marnus fluvius adlabitur, torentinis vber, vbi Lutrę ſunt, oppidum vetuſtum eſt, ſed poſt calabriæ vaſtitatem ab hinc annis ſexcentos, novis colonis ſuſceptis ſic appellatum, hic emporium nobile in annos ſingulos celebratur & fit optimi Serici ingens numerus, hoc oppidum in Specula exiſtens, magna planicie gaudet, quæ, frumenti & aliarum frugum ferax eſt, & pabulis apta, hic vina præclara naſcuntur & fiunt Lina laudatiſſima duum generum, quæ indigenæ maſcula & fœmina vocant fit & Cannabis. Fiunt & pulchra aucupia Phaſianorum, externarum Perdicum, & aliarum alitum, in montibus venationes ſilveſtrum animalium. Vide dictam Tabellam.

Oppido 4

OPEDVM vulgo Oppido civitas ſedes eſt Epiſcopalis in radicibus Apennini edito ſalubrique loco poſita, quaſi opem incolis dans, inter duos amnes Trecotium & Madam. Torrentinis & anguillis fœcundos. Vallis vndique cinctum eſt Opedum, hic nobiles nundinæ quotannis celebrantur. Ager cuncta incolis ſuggerit neceſſaria, nam frumenti & aliarum frugum ferax eſt, & paſcendis gregibus aptus & irriguus, vbi regia æquorum armenta æſtivo tempore pabulantur. Fiunt quoque hic vina, olea & ſerica nobilia.

ITER

ITER ROMA ANGITVLAM, PICIVM, PHILOCASAM, SYNOPOLIM, CALANNAM, ET SANAGATHAM.

San Euphemiam vſque numerantur mill. 306.	Vide Tabellam Calabriæ. o. Angitula 5	Simul 311.

ANGITVLA oppidum edito loco ſitum eſt ad eiuſdem nominis fluvium navigabilem & piſcoſum, Torrentinisque & anguillis vberem, hic nobile emporium annuatim celebratur. Fit in eius agro Goſſipium & Seſama, excinditur marmor, intuſque Smiris lapis reperitur, provenit vitex, eſt & fons aquam ſalſam ſcaturiens ex qua fit muries, fiunt aucupia & venationes vberes. Vide dictam. Tabellam.

Pizzo 5

PICIVM oppidum ad mare eſt, novum opus. Conditum eſt hoc oppidum vt piratis, deprædandi hac trãſfretantia navigia facultas interciperetur, nam hic ſeceſſus eſt, in quo Piratę latebant. Oppidani piſcationi & navigationi dant operam, merces homineſque Lembis vltro citroque traijcientes. Mare hic piſcoſum eſt, Sunt hic rhetia Thynnaria quibus eorum ingens copia capitur, quos cætarij membratim cæſos, Sale in cadis condiũt. Fit & magna Trichiarum piſcatio, quibus Sale conditis cados implent. Eſt Picij aqua ferrea, quæ tamen bibi poteſt. In eius agro excinditur marmor, reperiturque intus Smiris. Fit quoque Goſſipium; ſunt ibi Limonum & Citrorum nemora. Vide Tabellam dictam.

Philocaſo 5

PHILOCASA tenue eſt caſtellum. Ager eius frugifer feraxque frumenti aliarumque frugum; pabulis quoque aptus. Fiunt in eo olea & vina non vulgaria: provenit Nardus montana. Eſt in eius agro Stephanunculum vicus, vbi mel optimum. Fiuntque in eius agro Phaſianorum & externarum Alitum aucupia pulchra, caprarum quoque & leporum venationes. Philocaſiæ contermina eſt Panagia exiguum caſtellum. Exin eſt Vallonga, caſtellum tenue vbi caſeus probatiſſimus; ſylvæ glandiferę & caſtaneta porcis alendis opportuna. Sunt ibi quoq; pulchra pabula, venationes & aucupia, proveniuntque vbertim fraga. In hoc agro eſt Pizonum pagus, vbi fit charta, erumpitque hic Squilla. Vide dictam Tabellam.

Roſa	8	Sinopoli	16	Simul 24.

Synopolis oppidum in Apennini radicibus, edito penſilique eſt loco, quod Vadus Torrentinis anguilliſque vber fluvius, alluit. In eius agro ſunt caſtaneta & pagi Euphemia, Præcopum, Synopolis, Græcus pagus, cum mercatu annuo, Aquarium. Naſcitur his locis vinum nobile, optimi olei copia; Olivæ enim ad amygdalarum magnitudinem craſſæ & carnoſæ ſunt, quæ conditæ in Cadis optimæ ſunt eſu. Vide Tabellam dictam.

Muro	4	Callana	10	Simul 24.

Calanna oppidum eſt in radicibus Apennini. Hic Sericum & oleum nobile. In eius agro ſunt pagi Aleſſium & Stephanum. Intus eſt Apennini ſylva, nobilis, miræ longitudinis proceriſque arboribus, aquiſque recentibus referta, ac picis ferax optimæ: vberemque ad domorum tigna, reliquamque vtenſilia opera, & ad navigiorum fabricam, materiam ſuggerens. Sunt & glandiferæ arbores alendis porcis opportunæ. Proveniunt & frugiferæ arbores, ſponteque erumpunt herbæ nobiles medicinales. Lata ibi ac diffuſa planicies, montibus virentibus, herbiſque coronatis cincta: valles ibi amœnæ ſuſurrantibus rivis irrigatæ: Paſcua pabulaque læta ac florida. Frequens hic & varia venatio: eſt enim ferarum luſtrum: nam in Apennino Calabriæ varia ſylveſtrium animalium genera ſtabulantur, congerunt & Accipitres multigeri: in planis vero multarum avium genera ſunt, quare in vtraque Calabriæ ora, aucupia & venationes vberes, naſcitur paſſim lapis phrygius, provenitque Aniſum, Cuminum, Crocus ſilveſtris, fraga, cythiſus: Vberes fontes perſpicuique in ea manant: Amnes prope innumeri piſculenti Torrentinis anguilliſque fœcundi hic oriuntur, qui vtramque Calabriæ oram vbertim irrigant. In loco dicto Petrona agri Synopolitani, excinditur marmor. Vide dictam Tabellam.

S. Agatha 5

Sanagatha Græcum oppidum eſt, quod bonum ſignificat, edito eſt loco, naturaque ſatis munitum; vndique enim rupibus clauditur, alluiturque eiuſdem nominis fluvio Torrentinis & anguillis fœcundo. Ab Auſonijs conditum creditur. Hic Serica & Olea optima fiunt, naſcunturque Cappares. Sunt in hoc agro Corditum & Miſoripha. Incolæ in communi ſermone Latina & Græca lingua vtuntur, ſacra vero fiunt Græca lingua, Græcoque more.

ITER ROMA ROSARNVM, CHRISTINAM, ET SEMINARIAM.

Picium vſque numerantur mill. 316.	Vide Tabellam Calabriæ. o. Roſarno 10	Simul 326.

ROSARNVM oppidum Metaurus fluvius navigabilis alluit. Inter huius oppidi cepuria pepones laudantur, inter Legumina vero ciceres; ſunt enim craſſi & coctibiles. Fit hic ingens Phaſeorum copia. Extant Teſtudines aqueæ. In hoc agro ſylva eſt nobilibus herbis medelę aptis referta, vbi præter cęteras, crocus ſylveſtris, Reuponticum, Tragium & Siſon, quæ Amomum à Pharmacopolis dicitur, erumpunt. Vide Tabellam dictam.

caſt. Chriſtina 17

CHRISTINA caſtellum eſt humili loco ſitum in radicibus Apennini. In eius agro ſunt ſyluæ glandiferæ porcis ſaginandis aptæ; necnon ſylvæ ad domorum tigna ac ſupellectilia, & ad navigiorum fabricam aptæ, in ijs fiunt venationes. Fit hic oleum nobile, Olivæ quæ Amygdalarum inſtar craſſæ carnoſęque, in doliolis conditæ eſu optimæ ſunt. Vide dictam Tabellam.

Seminara 5

SEMINARIA civitas, Tauriani reliquiæ declivi loco eſt. Poſt Tauriani vaſtationem populus ea clade ſuperſtes cum ſuo Pontifice huc ſe contulit, perſtetitque hic Epiſcopalis ſedes plurimis annis. Rogerius Guiſcardus autem, & hanc & Hipponiatem ſedem tranſtulit Miletum. Fit Semmariæ Serici & Olei probatiſſimi copia, ex Olivis craſſis. Fiunt & Telæ nobiles: naſcitur vinum haud vulgare, & gypſum ſpeculare: Aucupia Phaſianorum, externarum, & aliarum Alitum vigent.

ITER ROMA CALIMERAM, BRIATICVM, TROPEAM, NICOTERAM, IOPOLIM, PARMAM, BALNEARIAM, SCYLLEVM, ET RHEGIVM.

Picium vſque in præcedenti itinere numerantur milliaria 316. Vide Tabellam Calabriæ.

caſt. Calinera	8
	Simul 324.

CALIMERA caſtellum mercatum annuum habet. Eius ager bonus ſicut & Philocaſtri aquiſque arriguus eſt, Sunt hic horti nemoroſi Limonium, Citrorum, & Malorum aureorum, fiunt hic quoque laudatiſſima Olea, gignunturque fructus optimi Fons eſt ſalſam aquam manans, ex qua fit muries, haud longe eſt Calocerũ puſillum caſtellum, in cuius agro gypſum eſt marmoroſum & ſpeculare excinditurque in ripis Latromi fluvij. Vide Tabellam dictam.

o. Briatico 7

BRIATICVM oppidum loco eſt edito, miliario à mari diſtans. In eius agro fiunt & Olea clara, item Xylon & Seſama, eſt hic quoque Amygdalarum copia, & varij generis fructuum optimorum, laudatur & Apiana uva, Extant hic viridaria Citrorum, Limonium & Malorum aureorum. Naſcitur hic ſponte vbertimque in collibus lociſque aridis, vbi aliud nec ſeci aut naſci poteſt, herba anguſta longa duos cubitos ad Fiſcorum, Sportarum, reſtium, vinculorumque vſum, & vinearum ligamenta apta, præbet & Bobus pabula. Votumum vocant incolæ; Spartum eſſe autumant aliqui. Vide Tabellam dictam.

Tropea 5

TROPEA civitas mari incumbit. Ora hæc vinetis Olivetis alijſq; arboribus haud impendio cõmoda, absq; habitatoribus frequentibuſq; villis. Ab Auſonijs, & inde ab Oenotrijs, alijſque Græcis deſtituta fuit. Eſt ſedes Epiſcopalis antiqua, hic mercatus quotannis celebratur. Fiunt hic Panni goſſipini nobiles. In eius agro provenit Staphyſagria & ingens votumi copia Vide Tabellam dictam.

o. Nicodro 6

NICOTERA civitas eſt Epiſcopalis, edito ſalubrique loco ſita mari imminens. Medana dicta fuit Domitiani. Imp. ætate. Fuit Medama vrbs à Medama fonte appellata, quæ nobile emporium habuit. Fiunt hic Serica & Lina clara, non longe ab vrbe ſtatio eſt navigijs ſida. Intus eſt Philocaſtrum oppidum, edito amœnoque loco ſitum hic Serica, Vina & olea clara optimique fructus ſunt. Vide dictam Tabellam.

Gioia 9

IOPOLIS exiguum eſt caſtellum edito ſalubrique loco ſitum quaſi Dioſpolis hoc eſt Iovis civitas, haud nimium à mari ſemotum eſt, hic magna fit Olei copia, Amygdala laudatiſſima ſunt, ac præter cæteros fructus, nobiliſſima pira, & Pepones optimi. Fit & hic Sericum nobile. Extant & horti nemoroſorum Citrorũ, Limonum & Malorum aureorum, naſciturque hoc agro Votumi copia. Vide Tabellam dictam.

Parma 8

PARMA oppidum eſt ad mare, vbi nobile oleum invenitur, hic retia Thynnaria ſunt; eſt enim mare hic piſcoſum capiunturq; Thynni, Xyphię, murenæ, Auratæ, Congij alijque piſces nobiles, reperitur quoque hic Corallium. Supra oppidum eſt mons ſublimis mari imminens; in monte autem Specus in quo Helias Abbas ſolitariam vitam degere ſolebat. Vide Tabellam dictam.

Bagnara 3

BALNEARIA oppidum eſt edito loco ſitum quod mare alluit cuius hic ſtatio. Vide Tabellam dictam.

Siglio 6

SCYLLEVM oppidum mari incumbit, ſupra Scilleum promontorium, ſaxum ſublime quod humilem à tergo tellurem abluentibus vndis habet, in Cherſoneſi faciem, quam Rheginorum tyrannus Anaxillaus ædificato munivit muro, vt Tuſcis navale ſtrueretur, & prædonibus navigandi per Euripum facultatem interciperet. Dictum eſt Scylleum à Scylla monſtro vt poetę fingunt, in ſuperiori enim parte, promontorium id humanam effigiem, in inferiori vero plures reſectos ſcopulos, ſub radicibus cavernoſis habet, intra quos dum æſtuoſum mare ingreditur, ab ijs refractum tumultuando canum latratum, & luporum vlulatum ſonat ac repræſentat, hinc poetę fabulantur monſtrum eſſe, virgineam faciem, pube tenus: reliquam vero corporis partem piſcium vel canum atque Luporum habens. In Scylleo agro nobile vinum naſcitur Melvaſium dictum, quale naſcitur in Creta inſula. In hoc mari piſcium præſertim Galeatarum. Xyphiarum magna fit piſcatio, quæ referente Strabone hoc modo inſtituitur: manentibus in ſtatione frequẽtibus remorum duorum Scaphis, ſpeculator quidam communis, ſupernè inſtat, duos ſingulæ Scaphæ tenent, alter navigat, alter haſtam habens ſedet

in pro-

in prora. Cum primum vero Speculator ſupereminentiam Galeatæ ſigno indicat, belluæ vero ſupra mare, pars tertia eminens fertur. Scapha propius appellitur, deinde iacto manu telo vulnus incutitur. Tum evulſa ſine cuſpide de corpore haſta(quod telum ſane eſt hamatum vt educi facile queat, apteque infixo ei funiculo, appenſum)ſauciata acclinat bellua, donec agitata ſuffugienſque laſſatur. Tunc in terram deducunt, aut intra Scaphã accipiunt. Vide Tabellam.

Colonnella de Mori	6	Carona	4	o. Rhezo	6
					Simul 16.

RHECIVM vrbs eſt longe nobiliſſima & vetuſtiſſima, totius Calabriæ Metropolis vtpote quæ prima in Calabria, imo in Italia Roma excepta), Chriſti fidem ſit complexa, primaq; à Diluvio condita vt aſſerit Gabriel Barrius Franciſcanus in libello de antiquitate & ſitu Calabriæ; Quæ multas Colonias in Calabria deduxit: nam ante Oenotrorum in Calabriam adventum, qui è Grȩcis primi in eam adventaſſe dicuntur, Rhegium, Aſchena, prius à conditore dicta, colonos per totam regionem, etſi raro emiſit. Quos Græci Auxones, & regionem Auxoniam ab auxo, id eſt augeo quod rerum proventibus ibi ſemper augeatur, appellavere, Fuit autem condita non multo poſt Diluviũ Noe ab Aſchenaz ipſius Noe pronepote, filio Gomer, à quo Aſchenaz in Italiam ad habitandum directus cum is ſibi primus locus eſſet oblatus, loci amœnitate captus, hic conſedit, vrbẽque hanc ſtatuit, quam à ſuo nomine Aſchenam, atque incolas appellavit Aſchenezeos. Viget in hac ora beata felixque quȩdam amœnitas, vbi ver perpetuum, arborum frondes perennes, hic horti nemoroſi, omni optimorum fructuum genere referti, nemora inſuper Malorum aureorum, Citronum & Limonium arboribus oppleta, vt totus Rheginus ager, iam irriguus Pomarium videatur, hic Palmæ ob gratam cæli temperiem dactylos ferebant, quȩ ad maturam frugem perveniebant, ſed à Turcis exciſȩ ſunt poſt Virgineum partum Anno 1544. & deinde anno 1552. Rhegij viſa fuit planta. Muſam vocant, & Paradiſi Malum, quæ folia habet cubitali longitudine, lata Palmo prope, eius caulis haud diu perdurat, areſcit enim pullulatq; rurſus, fructus fert digitali longitudine, craſſos & gibboſos, dulcis ſaporis; matureſcunt menſe Novembri. Fit Rhegij Sericum laudatiſſimum vbertim naſcitur & vinũ probatiſſimum, quod cum Surrentino pinguius fit & vſque ad annũ quintum decimũ vtile eſt. Sunt Rhegij Figlinæ, vbi Ollȩ coquinariæ laudatiſſimæ fiunt. Fiebant etiam olim Patinæ nobiles, hic nundinæ nobiles in annos ſingulos celebrantur. In Rhegino littore, poſt Cænidem prom: M. P. quatuor vſque ad Leucopetram, ſimulatque mare exieris, pede vno & interim eo minus terra effoſſa, aquȩ dulces ſcatent. In hoc

hoc agro Vitex, Siliqua ſilveſtris & Abſinthium ſponte proveniunt, reperitur hic molaris lapis frumentarius & olearius. Palladiæ arbores, id eſt Olivæ, naſcuntur affatim. Olivæ ad magnitudinem Amygdalarũ craſſę & carnoſæ conditæ in Doliolis ſunt eſu optimæ.

ITER ROMA RIVELLVM ET AMALPHIM.

Neapolim vſque numerantur mill. 119.	Vide Tabell. Terre Laboris.	Pimonte	8
	Torre del Greco 6	o. Rivello	4
		Simul	137.

RIVELLVM oppidum in monte nova quidem eſt civitas, ſed elegantia ſplendoreque ædificiorum, cum primis totius regni certat. De cætero in littore ſub montibus civitates ſunt duæ, cum ob ædificiorum magnificentiam, tum ob agrorum amœnitatem haud ſpernendę. Maior minorque vocantur. Vide Tabellam.

Amalfi 3

AMALPHIS iuxta litus maris, nobiliſſima lautaque eſt vrbs, à qua circumiecti tractus appellatio fluxit. Olim quam ſplendida potenſque fuerit, ex eius ædificijs ampliſſimis atque ſumptuoſiſſimis, ac item naviũ multitudine, quibus Amalphitanos latiſſimè negotiatos intelligitur. Magnetis vſum navigantibus interdiu noctuque familiarem adeoque neceſſarium reperiſſe ferunt Amalphitanos, inventum certe præſtantiſſimum. Nunc quanquam Amalphitani non ijs, quibus olim opibus abundent, latè tamen & ample negociantur in varijs orbis partibus, neque ſegniter vrbis ſuæ decus, ſplendoremque priſtinum tuentur.

ITER ROMA VICVM, SVRRENTVM, MASSAM.

Neapolim vſque numerantur mill. 119.	Torre del Greco 6	Vico	5
Vide Tabellam Terre Laboris.	Torre del annunata 3	Simul	137.
	Stabia 4		

VICVS exigua eſt civitas, eaque propter ſic dicta, quod à primis auctoribus, qui varijs ex locis convenerãt, elegantis vici ſpecie condita fuerit. Vide Tabellam.

Surrento 4

SVRRENTVM antiqua eſt civitas, Monti inſidens. Eandem non habet amplitudinem, quam olim, vt veterum ædificiorum circumiectis in locis veſtigia demonſtrant. Ager iucundiſſimus, ac item vberrimus eſt, vitibus, citris, alijſque nobilibus arboribus abundans. Plinius vina Surrentina celebrat, in vineis tantum naſcentia, convaleſcentibus maximè probata propter tenuitatem atque ſalubritatem, ideoque Tiberium Cæſarem ait dicere ſolitum, conveniſſe medicos vt nobilitatem Surrentino darent, alioquin eſſe generoſum acetum. Vide Tabellam.

Maſſa I

MASSA novi nominis eſt vrbis. Eius ager abundat vino quod vulgo Maſſicanum vocant. Quanquam autem vna cum Vico non admodum hoc tempore frequententur, ambo tamen civitates ſunt, & Epiſcopos habẽt Archiepiſcopo Surrentino contributos.

ITER ROMA CVMAS, BAIAS, PVTEOLOS.
Vide Tabellam Terre Laboris.

CVMARVM vrbis nunc penitus deſertæ videntur ruinæ ingentes, nempe Templorum, Turrium, Aquæductuum, atq; operum ampliſſimorum magnæ moles, ſed ruinis horridæ atque indiſcretæ. Nec non in alto montis vertice, templi Apollinis longe conſpicui celeberrimique ſunt veſtigia. Arcum Felicem nunc vocant altitudinis ſtupendæ fornices, è cocto latere evectos in ſublime; vti per eos via plana, inter duos montium vertices pateret. Condiderant vrbem hanc Græci ex Euboica Chalcide, qui ſedem quærentes, cum claſſe in Italiam profecti, primum vicinam Campaniæ promontorioque Miſeno Pithecuſas inſulam occuparunt; Nec diu poſt, etiam in continenti montem, in littore iuxta Avernum, atque in eo condiderunt oppidum hippocle Cumæo & Megaſthene Chalcidenſi Ducibus, quod ab vndis marinis Græca voce Cumas appellarunt, vel à muliere prægnante. Nam ibidem gravida pręgnans mulier inventa, fœcunditatis omen ipſis dederat. Floruere deinceps admo-

admodum per vicinam Campaniam, imperium rempublicamque ſuam diſciplina Græca Pythagorica temperantes æquiſſimè ſic vt colonias in eodem littore plures, videlicet Puteolos Paleopolim, atque Neapolim, ſucceſſu temporum fœliciter deduxerint. Poſtea à Campanis in poteſtatem redacti Cumani, ſervitute gravi, crudelique diu premuntur. At prævalentibus tandem Romanis, cum nec Annibal nec Capua, nec Italia denique tota, diutius eorum potentiæ reſiſtere poſſet, ſimul cum Campanis viciniſque populis libertatem nimis pertinaciter defenſam amiſere Cumani, atque eorum civitas in præfecturæ formam redacta eſt. Multarum vrbium Italiæ fortunam deinceps experitur, quæ Romæ potentia & amplitudine oppreſſæ in obſcuros decrevere vicos: maximè cum Campania vniverſa capaciſſimis Romanorum principum villis oppleta luxuriaret nimium. Tum Cumæ quaſi vacuę ad ſeceſſum tenuiorum ac plebeiorum civium patebant in introitu, videlicet Baiarum & Puteolani ſinus ac littoris: quandoquidem horti, prætoria & villæ locupletiſſimorum occupaſſent circumquaque vicinitatem omnem, vt agri nihil Cumanis relinqueretur. Collabente tandem Imperij Romani mole, cum Italia propter Tyrannorum impotentiam bellicis cladibus frequenter vexaretur, atque etiam barbararum gentium incurſionibus pateret: inter alias vrbes & Cumæ in abrupto monte ſupra litus poſitæ ſitus ob commoditatem operibus facile muniri poterãt. Agathias Mirrinæus libro hiſtoriarum belli Gothici primo teſtatur hoc oppidum ſuperiore loco turribus ac propugnaculis firmis validiſque cinctum ſuo tempore fuiſſe. Ideoque Totilam Teiamque Gothorum reges, in eodem, perinde ac in arce tutiſſima atque inexpugnabili, theſauros & precioſiſſima quæque ſua recondidiſſe, nec illud à Narſete Iuſtiniani Imp. Legato, niſi per longam obſidionem capi potuiſſe. Nunc autem inter ruinas ingentes adhuc murorum & turrium fundamenta, atque ex rupibus exciſæ foſſæ profundiſſimæ cernuntur.

Miſeno 4

Miseni promontorium Virgiliano carmine celebriumque auctorum ſcriptis famoſum & immortale eſt. Mons ille procurrens in mare ſicut olim, ita nunc etiam Cryptis atque cavernis multis pertuſus atq; concavus eſt, celebris propter claſſem atque bellicarum navium ſtationem, quam ibi iuxta Miſenum Auguſtus ad tutelam maris inferi mediterranei collocavit. Accommodavit ſtationem illam M. Agrippa, bello Siculo contra Sex. Pompeium præfectus claſſis ab Auguſto factus, atque in eo ſinu maris poſuit, qui inter Miſenum & Cumas collibus cinctus, inſtar lunæ corniculatæ incurvus & inflexus erat, loco nimirum capaciſſimo, vel maximè claſſi opportuno propter vicini maris Sinus triplices ab altero Miſeni latere inter Baias atque Puteolos ingruentes:

Baianum videlicet, Lucrinum & Arvernum lacus: quædam maris ocia, pulchre nuncupatos à L. Floro. Quorum Avernus ab intimo maris ſinu (quem Mare mortuum nunc appellant, quod eius faucibus oppletis arena, ſtagnum vel palus videatur) vix mille paſſus ſpatio diſtat. Itaque claſſiariorum militum hibernis ora circumvicina, atque etiam Miſenus mox adaptari cœpit. Exciſus Arveni ſaltus propter ſylvarum denſitatem aëris ſalubritati adverſus. Perfoſſi montes, atque duræ cautes quo viæ paterent planæ, per compendia ad Baiani Lucrinique littora. Atque ne deeſſet vnquam aquarum dulcium copia, maximis ſumptibus laboribuſque fluminum ac fontium procul adducuntur rivi, ædificantur ciſternæ, & aquarum caſtella ſpacioſa & multiformia pro locorum oportunitate; vel in plano, vel ſubterranea: atque etiam in exciſis montium penetralibus, vti per æſtivos calores frigida ſemper eſſet preſto. Hinc eſt quod videmus magna ex parte Miſeni montis exhauſta viſcera: imo totum fere concavum & cacumine penſilem eſſe. In quo nunc etiam apparent Lavationum ſolia, balneá, lacus, & ad cœnas faciundas Triclinia. Nam cryptis, vijs, ædificijſque fornicatis intus plenus eſt, quæ crebris hinc inde columnis incumbunt, partim lateritijs, partim ex ipſo montis ſaxo cæſis. Atqui inter ea quidem ædificia imprimis eſt ſpectabile caſtellum illud aquarum ampliſſimum, quod Traconariam cryptam appellant, vulgo, à fiſtulis ſive meatibus vt aiunt, per quos in illud aquæ pluviæ ex promontorio defluebant. Eius capacitas eſt immenſa, quæ multis doliorum millibus impleri nequiret. Nam in altum exurgit vltra pedes XXV, longitudo latitudoque non ſatis comperta eſt, quia collapſę teſtudines quædam loca ruinis oppleverunt. Intus autem omnia tectorio denſo tunicata ſunt, quemadmodum caſtella eius generis munire contra fiſſuras conſuevit antiquitas. Medium eius ſpatium patet inter duos parietes in longum pedes CC. in latum pedes octodecim. In vtroque latere medij tranſitus per portas quatuor intratur in cellas amplas quaternas, quarum teſtudines decuſſatim fornicibus iunctæ, parietibus intermedijs impoſitæ ſunt. Sunt non minoris amplitudinis & alia in vicino caſtella ſtructuræ tamen artificio, & mole differentia. Centum camerellas, quod vulgo nunc appellant, à cellarum in quibus aqua conſervabatur multitudine, inter eius generis opera non minus eſt admirabile tam magnitudine quam architectura. Cuius interiores parietes decuſſatim inter ſe commiſſi, totam ſuſtinent teſtudinem, & quadratas efformant vbique cellas, oſtiolis anguſtis à quovis latere pervias ad invicem: vt penetrare in ſingulas ſervi publici poſſent, cum aquis exhauſtis caſtella purgari debebant. Per concamerationum teſtudines ſpiracula & foramina ſunt; per quæ tanquam è puteis aqua in vſum quemlibet hauriri poterant. In eo quoque piſcina mirabilis, vt novo nunc nomine nuncupatur celebre caſtellum illud, quod integrum pene totum in clivo Miſeni promontorij claſſis portu, ac Cumas verſus, Spatio patet illud ædificium, inter quatuor extremos parietes in lon-

gum pedes D. in latum pedes CCXX, Cuius ſuprema concameratio modicum à pariete ſubvexa pilis XLVIII. quadratis innititur, pedes ternos ab vnoquoque latere craſſis: quæ quatuor ordinibus numero duodenario partitæ, ſymmetriam quintuplicis porticus elegantem per caſtelli longitudinem efficiunt. Totum opus eſt lateritium, ſummæ ſoliditatis propter murorum craſſitudinem magnam: cuius interiores parietes atqui pilæ diligenti tectorio cõtra percolationes aquarum veſtitæ ſunt. Atque in teſtudine ſunt item foramina multis in locis per quæ olim aqua hauriri ſolebat. Ex alto patebat ingreſſus vtrimque, tã à fronte, quam à tergo per Scalas lapideas graduum XL. quorũ alter iam obſtructus eſt. Pavimentũ à lateribus altius eſt ad mediam porticũ vſque, per cuius inter columnia gradibus quinque deſcenditur vtrimque, in aliud inferius mediæ porticus, in cuius fine gradibus rurſum aliquot deſcenditur in humilius aliud quoddam ſolium iuxta Scalas & ingreſſum obſtructum, in quod olim aquarum ſordes confluxiſſe videntur, quæ per ſcalas exhauſtis aquis denique per caſtellarios ſervos exportabantur, Pavimentum autem omne ex opere ſignino denſo diligentiſſimè conſtipatum atque complanatum eſt, vt nunc etiam temporis aquas facile contineat, pluvijs infuſas, & in infimo dicto ſolio reſtagnantes. Tãtæ molis fabricam quis primus ædificaverit coniecturæ ſunt variæ. Plures arbitrantur L. Lucullum auctorem eſſe, propter vicinas villæ Lucullianæ ruinas.

Baia

BAIARVM antiquiſſimarum pulcherrima fundamenta cum plateis ſilicatis nunc demerſa pelago viſuntur in vndis, Oppidi vix vllæ in continenti reliquiæ, balneorum atque thermarum cavernæ, & ædificia vetuſta, & admirandi operis extant circumquaque in vicinis montium clivis & radicibus. Interim multæ ſtructuræ in cineribus incendiorum ſepultæ iacent, multæ vaſtis terremotuum voraginibus abſorptæ ſunt. Portus Baiani veteres pilæ ex cocto latere maximæ. Puteolanæ molis inſtar, ſumptibus immenſis factæ, inter fluctus ſcopulorum extantes forma, videntur, ſicut & clauſtrorum moles ac fundamenta, quæ quondam piſcoſos Lucrinum Avernumq; lacus, adverſus aperti maris tempeſtates muniebant. Ab hercule primum aggerem iactum ferunt longitudine ſtadiorum octo, latitudine, qua duo vehicula commeare poterãt, cum Geryonis boves traducere vellet. Grata poſteritas illum ad Baulos propterea templo rotundo coluit, cuius adhuc oſtenduntur reliquiæ. Iam vero Lucrini & Averni ſpacia magna, mons novus occupat, ex imis penetralibus excitus Anno ſalutis noſtræ M.D.XXXVIII. in fine menſis Septembris, cum ferè biennio totus ille regionis tractus, crebris, terremotibus fuiſſet concuſſus. Tunc autem III. Kal. Octobris vna nocte inter Gauri radices & mare, iuxta dictos

lacus mons ille ſemet erexit in altitudinem mille amplius paſſ. & maris fluctus cum litore toto, per paſſ. fere CC. ſub movit. Tripergulanum vicum peramplum cum celeberrimis balneis penitus abſorbuit, & lacus duos Lucrinum Avernumque vicinos magna ex parte ſaxis cineribus & terra cõplevit. Quaterna paſſuum millia nunc radicum ſuarum ambitu complectitur. Quantum veterum monumentorum ſub ſe ſepelierit, haud facile dixeris. Crater in eius cacumine circularis, per quem flamma eructavit, late per diametrum patet paſſibus circiter quinquaginta, clivoſeque deſcendens in arctum adhuc temporis in fundo fumantes atque calidas aquas continere dicitur. Hæret adhuc opinio nunc temporis apud Campanos atque vulgus imperitum ab Averno vel inferis iſtac Chriſtum ſervatorem noſtrum, morte per mortem domita, retuliſſe ſpolia opima, ſanctorumque patrum animas ex infernis carceribus extractas, per montem Averno, & novo monti vicinum traduxiſſe, qui propterea Chriſti mons nunc etiam appellatur.

Pozzolo 6

PVTEOLI iuxta litus ad ſinum maris impoſita colli eſt civitas, quæ licet non inelegans aut exigua ſit; nulla tamen ex parte reſpondet opulentia vel amplitudine veteri coloniæ, quemadmodum ex vijs Silice ſtratis, & publicorum ædificiorum fundamentis colligitur, huius enim partem iam occupavit haud exiguam mare, magnã terręmotus & bella ſepeliere. Antiquiſſima fuit Samiorum colonia Tarquinio Superbo regnante per Samios condita in fine Olympiadis LXII hanc Samiorum coloniam à iuſtitiæ principatu, ac ſanctiſſimo imperio Dicæarchiam nuncupatam volunt, quo nomine Græci ſcriptores omnes, illam appellarunt, ac ſæpius etiam Græcorũ exemplo Latini. Strabo aliquando Cumanorum emporium fuiſſe ſcribit appellatumque dein à Romanis Puteolos, vel à puteorum frequentia; vel vt aliqui volunt, ab aquarum ſalientium putore ſulphureo. In poteſtate vero Romanorum veniſſe conſtat Annabalico bello, Capua obſidione capta, graviſſimeque multata propter perfidiam & ingratitudinem. Sex Pomponius nominat Puteolos inter decem Campaniæ præfecturas, in quas præfecti iuris dicundi quotãnis à populo Romano creati mittebantur. Lege Acilia dein poſt annos XVII. eo colonia deduci civium Romanorum cœpit inter quinque maritumas, quæ lege eadem tribunitia tum deductæ ſunt, anno vrbis D. LIX. vt Livius auctor eſt. Auguſtus denique bellis civilibus victor, cum pace parta Lanum clauſiſſet, & veteranis militibus præmia daret, inter duo de triginta colonias, quibus vt Suetonius ait, Italiam frequentavit, & Puteolos coloniam militarem fecit. Summum templum D. Proculo martyri nunc ſacrum, quod olim Auguſto Cæſari dedicarat opere Corinthiaco pulcherrimum Calpurnius, non tempus edax rerum, non hoſti-

hoſtiles iniuriæ tot ſeculorum ſpatio, ſoliditatem eius ædificij convellere potuerunt. Nam ex quadris marmorū trabibus, ita compactum eſt, vt vno ex ſaxo videatur, & vix iuncturas oſtendat. At terręmotuum impetus crebri nonnihil illud conquaſſarunt. vt tympani dexter deciderit angulus cum tituli parte, & ſciſſuræ quædam videantur. Templum Neptuni, in ea colonia magnificentiſſimum fuiſſe conſtat ex Cicerone, viſunturque adhuc eius reliquiæ magnæ ad ædem D. Franciſci, vtpote teſtitudines, arcus, groſſi atque alti muri cum ſtatuarum loculis. Sed omnia nunc columnis marmoreiſque ornamentis ſuis nudata ſunt. Apparent item non procul ab amphitheatro veſtigia & ruinę templi, quod opulentiſſimum exſtruxerat Antonius Pius Auguſtus Hadriano patri Imp. mortuo Baijs in Ciceroniana villa, velut Spartianus auctor eſt. Ex eius ruinis ſtatuæ pulcherrimæ plures, columnatum atque marmorum ingentia fragmenta proximis annis extracta ſunt, cum Nervæ, Traiani, atque Hadriani Impp. elogijs, patris videlicet, avi ac proavi. Quibus in Divorum numerum relatis, ibidem Antoninus ſacrificia, Agones, flaminum ac ſodalium ſacerdotia inſtituerat, vnde & Pij cognomentum ipſum obveniſſe opinantur quidam. Nympharum vero templum fluctus marinos, aut terræmotus abſorbuiſſe veriſimile eſt, quod extra Puteolos in litore maris fuiſſe Domitiano Imp. legitur. Ex albo lapide conſtructum, & vaticinijs olim celebre, in eoque Fons aquæ perennis, quæ nunquam ſumma crateris labra excedere, nec exhauriendo decreſcere viſa fuit. Sed hæc cum infinitimis alijs veterum monimentis iam interierunt: Fons tamen aquæ dulcis in mari ipſo, non procul à continenti apud viam Campanam exilit, adhuc cum impetu vehementi; cuius ſcatebra in fundo pelagi tranquilli ex arenis emicans ſpectaculo ſemper eſt, & ingentem cunctis præbet admirationem. In coloniæ veteris fere medio viſitur adhuc amphitheatrum ex quadrato ſaxo peramplum & integrum penè. Quod quamvis terræmotibus nonnihil deformatum, ſaxiſque multis ſpoliatum ſit, atque eius arena ſaxo ſæpius proſcindatur, apparet attamen eius forma, & magnitudo circumquaque protenſa, circulo oblongiore, quā Cæſarum temporibus in vſu fuit. Interiores enim areæ longitudo eſt pedes CLXXXII. latitudo tantum XCII. Aquæductuum reliquiæ multæ, qui vel montes penetrabant vel ambiebant circumducti, ſparſim vbique locorum apparent. Nec numerari facile poſſunt aquarum caſtella multiformia, partim integra partim terræmotibus ſubverſa, quorum ſunt ſubterranea pleraque & admodum ſpacioſa, labyrinthis per angiportus & oſtiola, ſemitaſque flexuoſas diverſimodo fabricatis inextricabilia ſine lumine, funiculo, aut peritiſſimo duce. Aquarum dulcium copiam abundantem, in litore, & illo maritimo tractu cultiſſimo, maximis impenſis Romanos olim congeſſiſſe cognoſcitur: quibus quod natura negavit, labor & induſtria ſemper & vbique ſuppeditarunt. Inſcia veteris hiſtoriæ plebecula per vſus ignorantiam hæc ſimiliaque ædificia nominibus ridiculis, inſignivit piſcinas mira-

mirabiles, centum cellas, & cryptas Traconarias appellando. Nec minore macularunt ineptia fontium, thermarum & Hypocauſtorum nomina quæ inter Puteolos, Miſenum & Cumas varij generis ac medicaminis efficaciſſimi, adverſus morbos quoſcũque numero vltra 40. reperiuntur. Exeuntibus ad litus, apparent à longe tãquam alti in vada tumuli vel colles aliqui Gigãtea veteris portus opera: pilæ nimirum vaſtiſſimæ tredecim, turrium quadratarum inſtar è mari exurgentes; fornicibus denſiſſimis connexæ, pontis in formam quondam oẽs quæ fuerunt. Nunc vero tempeſtatibus atque vetuſtate, ſtructuræ tam ſtupendæ ſoliditas divulſa eſt; & concamerationes collapſæ multis in locis pilas ab invicem ſepararunt, vt ab vna in aliam non pateat tranſitus. Vniuerſum opus lateritium eſt, teſtudineſque ſpiſſas ac fornicatas è lateribus coctis in quadrum bipedalis latitudinis, citius credere eſt terræmotuum quam fluctuum vehementes impetus diſſolviſſe. Latiſſimi pontis forma procurriſſe conſtat in mare, & circumflectendo ſe nonnihil in arcus modum, litus atque Avernum reſpexiſſe; atque ita defendiſſe portum adverſus tempeſtates & æſtus aperti maris: cuius impetum periculoſum, ſpiſſitudo pilarum facile coercebat: Fornicibus idcirco concavum ac pervium opus antiquitas feciſſe videtur, vt fluxu atque refluxu continuo limum expurgarent vndę marinæ; quem rivi & aquæ pluviales è continenti & vicinis collibus defluentes in portum ingerunt: qui alioquin congeſtus ibidem, annorum paucorum intervallo profunditatem illius adimpleret, niſi per meatus, vndę inter pilas ingruentes limum ac terram è ſolido maris fundo diſcuterẽt & everterent. Quod ſanè vitium in Neapolitano portu, & in multis alijs aggere continuo ſeptis nunc primum agnoſcitur. Molam Puteolanam à magnitudine vocat Suetonius Tranquillus in vita Caligulæ, ante cujus tempora moles iſta ſtetit: atque etiam Silice ſtratam pluteiſque marmoreis ab vtroque latere ſeptam fuiſſe putatur. Itaque Puteolanis, quando ſudum erat, molis iſta tanquam in Hypethrio periucundę deambulationis commoditatem præbebat. In cuius ingreſſu ſtetit quem diximus ſublimis arcus marmoreus, Antonino Pio Aug. quondam à Puteolanis erectus gratitudinis ergo, quód ad molem portus reſtaurandam liberaliter reipub. ſubveniſſet, quemadmodum ex elogij fragmento liquet. A Puteolis via qua itur Neapolim integro pene miliario ad Sulphurarium vſque paſſim ingentes ædificiorum ruinæ conſpiciuntur. Ad finem ruinarum Sulphuraria eſt, locus à conditione ac natura ſic dictus. Montes autem ſunt ſulphuris, aluminis, atque vitrioli, vt appellant, venis fœcundi: quorum præcipuus coloniæ Puteolorum antiquę vicinus admodum imminebat olim, teſte Strabone, nunc tamen ab oppido novo diſtat vltra mille paſſus. Cuius vertex quondam præaltus, perpetuis tandem ignibus depaſtus in vallem profundam ſubſediſſe ex ipſa loci forma colligere eſt. Itaque qui quondam vertex, nunc ingens in plana valle foſſa eſt: quæ coſtæ vel latera montis olim, nunc Scopulorum ac rupium cacumina ſunt,

valle

vallo quodam circum ambientium planiciem extenſam ovata forma per pedes plus minus mille quingentos in longum, & in latum circiter mille. Colles illi paſſim flagrare videntur in imo fundo: Nam magnos vbique cum odore ſulphureo per plura foramina ſemper exhalant fumos: qui per omnem vicinam regionem ventis, etiam Neapolim vſque defertur. Antiquitus hi colles, maiores ignes evomebant: & alij vicini montes plures, circa Lucrinum & Avernum ardebant, & velut è fornacibus fumos eijciebant ſpiſſos, atque aquas igneas. Nunc temporis autem ipſa planicies non ſecus ac colles Phlegræi, flammis perpetuis exhauſti, foraminibus infinitis cavernoſi ſunt, & materia coloreque ſulphureo flavent vbique. Solum itaque pedum ingreſſu cũ tangitur, quaſi tympanum propter concavitates reſonat & crepitat: ſentieſque non ſine ſtupore ſub pedibus ferventes aquas, fumoſque denſos & ignitos ſibilare ac fluere hinc inde cum magno fragore per Tubos atque cavernas ſubterraneas, vi exhalationum factas. Quæ quanta ſit, experieris; ſi foramen aliquod obtures, vel gravi lapide, eundem mox impetum fumi videbis eijcere, Lacuna ingens in eadem planicie ſemper reperitur aquis nigris bullientibus plena, quę locum aliquando mutat, ac indureſcentibus aquis (vt in lebete pinguedo frigeſcens per margines ſolet) arctatur vel ampliatur ſimul cum exhalationum impetu maiore vel minore, aliquando ingentis inſtar Cacabi, livido luto pleni bullit, cũ magno ſonitu, fumoque, evehitur. Ante annos aliquot eiecit illa Vorago aquas vltra humanam ſtaturam ad octo vel decem pedes in altum, in modum Pyramidis; eaſque pingues ac luteas ſulphureique fere coloris, quod etiam vicini Puteolani non diffitentur, qui perhibent ad XVI. vel XXIV. aliquãdo palmos ebullire, cum tempeſtatibus æſtuat mare, tum color aquarum varius, ac plerumque Sulphureus, nimirum quas varia materia mixtas è profundioribus terræ venis, maiore cum impetu venti ſubterranei agitati marinis æſtibus, & inter flammas invaleſcentes eructant: at cum venti ſub terra quietiores ſunt, hęrentes tantum in Lacunæ faucibus, pingues ac nigra fuligine ſqualidas aquas propellunt. Hæc quidem ingenijs naturæ ſecreta perſcrutantibus offerunt conſiderationem haud inutilem aut iniucundam: quam M. Cicero perappoſitè, atque luculenter naturale quoddam animorum pabulum appellat. Aquę illæ ſulphureæ maris ſalſugine cineribuſque incendiorum infectæ cum longius profluendo refrixerint lapideſcunt, atque propagant vim eandem in amnes ac rivos, quibus commiſcentur. Denſior quoque terra ac ſaxa ſimilibus incendijs exhauſta diſſolutaque in groſſiorem pulverem, quem Puteolanum à loco veteres nuncuparunt, receptis aquis conglutinantur & humore ſolideſcunt in ſaxum. Et aquę per ea loca permeantes, viciſſim tale quid glutini contrahunt, vt corpori quod contingunt cohæreſcant, & coeant in petram. Stupenda viſu in Apennini ſpeluncis & cavernis occurrunt eius rei miracula ſub Anienis alveo veteri in Æquicolis ad Vicum Varium ſiue Varronis, in quibus olim ſtillan-

tes per rupium fiſſuras ac hiatus aquæ, dum ſenſim in ſaxa concreſcunt, multiformes atque ſublimes columnas, arborum magnarum ramoſos truncos, centaurorum ac gigantum monſtroſa corpora temere cadendo fabricarunt. Colle tranſito qui Sulphurariam includit, ab oriente convallis eſt, vbi alumen conficitur. Modus eſt huiuſmodi. Lapides è monte Sulphurariam cingente coquunt in fornacibus, eductoſque coacervant, dein aquam certis ex puteis qui hic ſunt, ſpatio dierum aliquot infundunt, & adeo macerant, vt in cineres diſſolvantur. Ex ijs cineribus Lixivium confectum lignea in vaſa condunt, quod paulatim circa extremitates vnciæ plerumque craſſitudine coit atque ſolidatur, inſtar cryſtalli vel glaciei, ferroque divellendum eſt. Voluptatem ſpectatio peringentem habet, arſque eſt ex ſe fructuoſiſſima. Ad viam quæ Neapolim à Puteolis ducit, villæ Ciceronianæ locus occurrit, etiamnum eo nomine inclytus. Eadem via pergenti villæ L. Luculli ingentes ruinæ apparent. Per montem hic apertum ferro, marinas aquas Anianum in lacum collibus vndique concluſum, is immiſerat: quámobrem ad illud oſtium vtrinque rupes altæ, iuxtaque veſtigia ſumptuoſorum operum adhuc cernuntur. Hoc ad lacum ingreſſu Thermæ ſtagni reperiuntur, Anianæ dictæ. Cellę quædam ſunt concamerata teſtudine, quarum ſolum magna frequentia calidos emittit vapores, adeo vt abſque veſtibus intranti repente ſudor excutiatur, vnde Sudatoria quoque nominantur. Humores crudos evacuant, corpus vniverſum allevant, languidos reficiunt, ilia ſanant, inteſtina vlcera deſiccant & podagricis vehementer auxiliantur. Dextra porro ad pedem altæ rupis qua Lacus cingitur, haud procul ab ipſis aquis, Antrum fundo plano in montem abiens per paſſus decem vel octo, cuius fauces amplæ ſatis duos vel plures in ingreſſu ſimul intromittere poſſunt; ſed ſenſim declivi in arctum teſtudine deſinit, vbi è profundo per ſaxi poros inviſibiles ferventes exhalat ſpiritus, verum adeo tenues, ſiccos atque ſubtiles, vti eorum nullus videatur fumus aut vapor: quamvis aerem ventis infuſum cavernæque frigora calore vehementi mox ſpiſſent, & mutent in aquam: ſicuti ſtillæ in ima teſtudine dependentes, & ex obſcuro adverſus oſtij lucem ſtellularum in modum ſcintillantes indicant, Hydrargyrij vel argenti vivi guttę apparent à longe, ſed aquæ limpidiſſimę guttas eſſe didicit, qui digitis eas deterſit è ſcabra montis teſtudine. Et quamvis is aliquantiſper moram in antro traxerit, vel ad horæ ſemiunciam ampliuſque, atque calores à pedibus per crura genuaque ſenſerit exurgentes, non tamen vertigo vel capitis dolor vllus acceſſit: ſudores tantum in fronte ac temporibus ob loci caliditatem erumpebant. Experientia ergo docuit, fervores ſive ſpiritus illos noxios prope Solum, vbi primum erumpunt vehementiores eſſe: atque opprimere ibidem animalia puſilla, vel quadrupedia verſus terram ſemper capite prona: atque æſtu nimio quamprimum ſuffocare vitales eorum ſpiritus, dum ſiccas illas & ferventes exhalationes anhelitu coguntur attrahere, quas aquarum repentina frigora rurſum expellunt, ſi con-

ſi confeſtim ſtagno mergatur animal caloribus nimijs oppreſſum. Pauſilypus mons arduus quidem, vineis attamen pulcherrimis excultus & villis etiam olim opulentis habitatus, inſtar promontorij procurrit in mare Siculum, viam præcludit inter Puteolos & Neapolim: qui quidem ſummo cum labore moleſtiaq; viatoribus ſuperandus erat, vel ambitu longo circumeundus priuſquam maiorum induſtria perfoderetur. At vero per imas radices atque intima viſcera pertuſus, viam itinerantibus recto tramite planam atque facilem aperire cœpit. Mõs quidem pertuſus eſt ad paſſus plus minus mille, viaque per fodinam illam patet lata pedes XII. ac totidem alta: qua ſicuti Strabo teſtatur, duo contraria plauſtra ſimul commeare & tranſire poſſunt. Arragonum rex Alphonſus primus in poteſtatem provincia redacta, complanavit dilatavitque viam ac fauces; perforavit montis dorſum, atque duas aperuit feneſtras, quæ lumen obliquum in mediam ſpeluncam ex adverſo nunc infundunt, Tãquam nix quædam inſparſa Solo, lux illa tranſeuntibus apparet à longè reſplendens in obſcuro, priuſquam feneſtræ videri poſſunt. Eſt etiam in tenebroſæ vię medio Sacellum exiguum exciſum in pariete ſaxeo, in qua nocte dieque Lampas ardet, adampliavit opus immortalitate dignum reſtauravitque magnificè noſtra memoria Petrus Toletanus, dum Caroli V. Imp. auſpicijs regnum Neapolitanum adminiſtrat. Itaque nunc tam recto tramite via per montem ducta eſt, vt cryptam intrantibus lumen à longè velut ſidus quoddam per oſtium adverſum reſplendeat, ad quod euntes in tenebris iter dirigant, quibus item facile ac iucundum eſt, obvios quoſque per lumen illud in ſpeluncam intrantes, tanquam pygmæos procul, vel equites vel pedites cernere. Quiſnam primus animo Xerxeïo tam immenſum opus aggreſſus fuerit, aut quo tempore factum ſit, feruntur eruditorum variæ ſententiæ. Vide dictam Tabellam.

ITER ROMA CAIETAM

Fundos vſque numerantur mill.	Vide Tabellam Latij. o. Saeta 9	Simul

CAIETA vrbs non minus operibus quam ſitu vndequaque valde tuta eſt. Simul enim cum promontorio, è cuius clivo dependet, poſita eſt in quadã peninſula, fereq; tota marinis aquis cingitur, vt terreſtri itinere, niſi vna porta è continenti pateat ad eam acceſſus, per Iſthumum anguſtum, atque ponte, porta, propugnaculiſque munitiſſimum. Aſſurgit duplici vertice promontorium & qua mediterranea ſpectat vrbe veſtitur, in planiore

niore cacumine clivoſo. Altera pars altior multo præcepſque, procutrit in mare meridiem ac occidentem verſus, atque permedium à ſummo ad imas vſque radices vaſta ruptura ſciſſa eſt terręmotu, vt creditur antiquo, qui in ijs Italiæ tractibus aliquando tingere ſolet. Scaphis intrant hiatum longo ſpatio nautę venerabundi, locumq; colũt religioſe, credunt enim ſicut & alij incolę & vicini montem illum, quo tempore Chriſtus redemptor noſter pro ſalute humani generis in cruce mortem perpeſſus eſt, ita vulſum terręmotu fuiſſe cum petras, tunc fiſſas eſſe tradat Euangelica hiſtoria. Extructum eſt propter fiſſuram montis, monaſterium, atque templum opulentiſſimum, dicatumque ſanctæ Trinitati ter maximæ, à quo monti quoque nomen nunc inditum, vt vulgo mõs Trinitatis appelletur. Miraculi inſtar ſaxum ſuſpicitur immane è ſummo montis cacumine prolapſum, quod inter medij hiatus vbi anguſtior incipit eſſe, ſcabros parietes in caſu ſuſpenſum fixumque manſit. Sacrarium in hoc extruxit pulcherrimum Summæ Trinitati Ferdinandus Arragonum rex è mari conſpicuum, ad quod via manufacta, per ipſam montis rupturã aſcenditur è monaſterio. In cuius ſolidis & vaſtis parietibus vtrimque conſiderare iucundum mutilos ſaxeos, ſparſim extantes, & ex aduerſo loca vacua & concava, è quibus vi ſumma terræmotus ſunt divulſi, quemadmodum duriſſima ſaxa inæquali ſemper ruptura finduntur. Ibidem viſu digna præclaris noſtri ſæculi exercituum ducibus poſita monumenta marmorea ſumptuoſa, cum elogijs admodũ honorificis, Caruli nimirum Borbonij, qui in oppugnatione Funeſta Romæ ignito glandinis plumbeæ iactu vulneratus interijt. Item Odeti Lautrechij ducis adverſarium partiũ, qui in obſidione Neapolitana contagioſo morbo quinquaginta milium exercitu amiſſo deceſſit. Cuius tamen licet inimici cadaver eius vrbis propugnator Philibertus Aurangius humanorum caſuum non immemor, eo loco peramplo condidit. Caiete mœnia atque propugnacula apparatiſſima ſunt tormentis bellicis inſtructiſſima. Arx eſt in angulo promontorij verſus orientem, eam poſuit Ferdinandus Aragonum rex pulſis ex regno Neapolitano Gallis. Noſtra memoria Carulus. V. Imp. & rex adiecit rupem vicinam ponteque ſublicio iunxit Arci ſuperiori. Atque ita moles turribus atque propugnaculis adauctas duplicavit, & promontorio toto ſimul incluſo vrbi, foſſa, muriſque connexit. Arcadinam & Tichen Syracuſanorum diceres, ex ijsdemque vicina littora, portum atque vrbem ſubiectam poſſe. Quare ſelectiſſimo ſervantur arces hiſpanorum militum præſidio, nec ignotis peregriniſve datur in has acceſſus, immo nec civibus aut inquilinis. In vrbis ſummo templo eſt crater ille Bacchicus ingens, cadorum plurium capax, ex vno ſaxo Pario candidiſſimo cavatus, quo nunc ibidem vtuntur in templo pro ſacri Baptiſmatis lavacro. Inter antiqua eius generis vaſa nihil videri pulchrius perfectiuſque poſſet. Nam in eo, cælatura Græca conſpicitur artificioſiſſima, cuius non puduit ſculptorem, qui nomen ſuum Crateri inſcripſit. Salpiona Athenienſem fuiſſe.

chara-

characteres Græci in eo ſculpti docent. Cęlavit eleganter in eo vaſe figuris artificioſiſſimis, vt Dionyſium illum bimatrem ignigenā (ſicut poetæ vocant) recens natum Mercurius detulerit Iovis ex mandato ad materteram Leucotheam, quam & Matutam poetæ Latini appellarūt; eadem Ino veteribus dicta: quæ Baccho infanti vbera primum dedit, qui deinde Nymphis nutriendus eſt traditus, hanc igitur vides matronali in habitu ſedentem in rupe, preſentatum à Mercurio infantem vlnis acceptare, poſitumque in Linteo recondere ſinu, dum Satyri & Bachæ evantes ad tympana tibiaſque bifores ducunt choreas. In altiſſimo Caietani illius promontorij cacumine eſt illud antiquiſſimum L. Munatij Planci oratoris Ciceronis diſcipuli, cuius adhuc extant inter familiares epiſtolæ, mauſoleum marmoreum, quod ibidem extructū ante mille quingentos annos ſub Auguſto Cæſare adhuc integrum, lateque proſpectat in mare, Turrim Orlandinam nunc vulgus appellat, vti maiorum opera factaque ſublimia, fabuloſis involvit originibus poſteritatis ruditas, & hiſtoriæ veteris inſcitia. Eſt autem forma rotunda, vt illud Metellę Q. Cretici filiæ, in Appia via non procul ab vrbe, ad cuius imitationem Architectus hoc Plancianum conſtruxiſſe videtur. Conſtat tota moles ex duobus murorum ſolidorum circulis. Quorum exterior ex ſaxo ingenti quadrato compactus, habet in diametro paſſus circiter XXVIII. vel pedes LXXXIV. ex eoque colligere eſt totius ſepulchri magna latitudo, ſi diametri lineam ducas in circulum. Nec minor eſt eius altitudo, prout oculi conſideratione dimetiri poteſt, cum XXVII. ſeſquipedalium ordinibus evehatur in altum. Quibus eſt impoſita ſuperior corona, ſuis murorum pinnis tanquam in radios efformata, & hoſtilium armorū ſpolijs inſigniter adornata. Intranti per oſtium occurrit ambitus ſeptem circiter pedes latus, quem facit circulus interior opere lateritio ſpiſſo, altaque teſtudine iungit exteriori hic igitur interior altiſſima clauſus concameratione formam, rotundi templi in medio Mauſolei repręſentat cum quatuor peramplis ſtatuarum loculis, parietes interiores omnes tectorio marmorato videmus expolitos tam fuiſſent tantoq; candore renitentes, vt vitri ſplendorem habuiſſe, niveiſque repercuſſibus luminis radios duplicaſſe videantur. Qui per oſtium dumtaxat intromiſſi (nullas enim feneſtras habet tota moles) locū illuſtrant abunde. Supra oſtium & Planci oratoris titulos cum elogio rerum ab ipſo geſtarum characteribus pulcherrimis velut in tabula ſculptus integre legitur. Portus Caietanus vt ob amplitudinem atque vetuſtatem apud auctores percelebris, ſic etiam ſitu ac natura loci tutiſſimus eſt. Cum à meridie & occidente tempeſtates flatuſque marinos arceat promontorium, ab Aquilone, Ceria & Furo tutentur Apennini brachia. Italiæq, tellus ſtabilis. inter ædificia publica magna & famoſa ab Antonino Pio Auguſto facta, vel reſtaurata, celebrat Iulius Capitolinus caietæ portum ac Tarraconenſem.

ITER ROMA ARDEAM.

Vide Tabellam Latij.

Grotta perforata	4	Treroria	4	o. Ardea	4
Caſa ferrata	4	Capo cotto	4		Simul 23.
Caſaletto	2	Patrice	1		

ARDEA quondam Rutilorum vrbs fuit. Danaem Perſæ matrem Plinius, ſed aliter ex enagora X Dionyſius vnum ex Vlyſſis & Circes filijs conditorem eius aſſerit. Nomen ab Ardeæ avis augurio deſumptum Virgilius indicat. Quibuſdam placet nomen hoc à Dauno Pilumni filio vrbis conditore tractum. Alij ab æſtus hoc loco vehementia. In huius oppidi delubro quodam vt Plinius memorat antiquiſſimæ nonnullæ iuxta ac elegātiſſimæ picturæ cetnebantur, tanquam recenter factæ, quatum auctorem alibi Marcum Ludium prodit. Vide dictam Tabellam.

S. Anaſtaſio	4	o. Nettuno	7	Simul 11

NEPTVNIVM oppidum proptet Antij vicini (cuius pauciſſima nunc veſtigia ſuperſunt) deſolationem, in littore maris conditum, aut verius inſtauratum eſt. Neptunienſes hoc tempore quanquam fertilem agrum habeant, & vino frumentoque abundantē vt plurimum tamen aucupio ac piſcationi vacant, propter loci ad ea ſtudia opportunitatem, litus enim omne ſpacio P.M.XVIII. vſque Lavinium ſaltus vepreſque continuos habet, Aprorum, Capreolorum leporumque venationibus aptos. Palumbes & coturnices magna frequentia certis anni temporibus; præterea quoniam mare glareoſum habent, optimos generoſiſſimosque piſces capiunt. Vide dictam Tabellam.

o. Aſtura	5

ASTVRA oppidū marinis aquis cinctū eſt. Clauſtra vocat Ptolem. vt quidam volunt at Plin. inſulā cui oppidū inſidet, itēq; flumem eodē in loco nominat Auſturā. Scriptores multi cū amnis Aſturæ, tū oppidi mētionem fecerūt maximè propter indigniſſimā Marci Tullij cædē, qui Antoniū fugiens hic ab omnium hominum ingra-

tiſſimo

tiſſimo Popiliociui vitam ante conſervauerat obtruncatus eſt,hunc ipſum locum memorabile Corradini fatum Frederici ſecundi Imp. nepotis illuſtravit,quem Carolus Andegauenſis Comes primus Siciliæ Rex hic captum (cum victus in campis Pomtinis huc vna cum Auſtriæ Duce refugiſſet) in foro Neapolitano ſecuri percuſſit.

ITER ROMA OSTIAM

Vide Tabellam Latij.

Grotta perforata	2	Malafedo	1	o. Oſtia	2
Oſteria	2	Oſteria	2		Simul 12
Torrizella	1	Palocco	2		

OSTIA oppidum ab oſtio Tiberino appellatum, ab Anco Martio, eo loci vbi Æneas primum caſtra conſtituit,cōditum, in ipſo maris Tyrrheni Tiberis fluvij confinio, vt totius mundi,opes illo veluti maritimo vrbis hoſpitio reciperentur,aerem habet gravem & peſtilentem. Olim maximis ædificijs ornatum,nunc in paucas & exiguas villas abijt. Turrim habet cum propugnaculo à Martino V. extructam; apud eam duobus oſtijs Tiberis in mare influit,ſed vno maximo & impetuoſiore. Ruina hic & veſtigia portus celebrrimi videntur, cuius fundamenta adhuc è mari ipſo eminent. Fuit vnum ex operibus admirādis quæ vnquam Romani extruxerunt.Eius forma habetur apud Tramezinum Pyrrho Ligorio auctore. Lazarus Bonanicus dicere ſolebat. Omnes Chriſtianorum principes non poſſe talem extruere. Fuit dirutus à Gregorio Pontific. Rom: propter metum Saracenorum, ne eſſet ad illorum irruptiones receptaculum. Sunt prope ruinæ multorum ædificiorum, maxime Camerarum quarundam,quæ quidem ſatis amplæ ſunt, ſed valde humiles, quarum nec forma complecti,nec numerus iniri poteſt in tanta vaſtitate.In ijs repoſita fuiſſe ea, quæ ex navibus exportabantur veriſimile eſt.

FINIS.



ITALIA
Septentrio
Iſtria
Croatia
Friuli
Lombardia
Venetia
Pola
Zarra
Spalato
Verona
Mantua
Milano
Ferrara
Adriaticus
Rauenna
Trau
Pauia
Cremona
Loſina
Turino
Po flu
Apennino m
Pesaro
Ancona
Ragusi
Luca
Siena
Peſcara
S. Maria de Tremiti
Sinus
GRÆCIÆ
Piſa
Toſcana
Spoleto
Norſia
Abruzzo
Monaco
Genua
Spezia
Viterbo
Aquila
Manferdonia
Durazzo
Oriens
Occidens
Elba
Roma
Capua
Ascoli
Brindiſi
PARS
Ciuita vecchia
Napoli
Otronto
Monte Chriſto
Tiberis fl
Gaeta
Basilicata
Nebio
Corſica
Salerno
Rocca Imperial
Gallipoli
Policaſtro
Calabria
S. Bonifacio
Mare Tirrheum
Strumboli
Corfu
Felicur
Alicur
Vulcano
Rezzo
terranei pars
Maris Medi
Miliar Italica
50
100
Sardinia
Meridies
Meſina


SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
APRVCIVM
MARCHIÆ
ANCO
NITA
NE
PARS
GOLFO
DI
VENE
TIA
Mora
Aſcoli
Troia
Buffario
Camplic
Arquata
Terannо
Atry
Citta
S. Angelo
Clauono
Sino flu
Piſcara
Rapino
Moſculo
Chietti
Petranico
Pianello
Gantalupo
Luiano
Buſſo
Temara
Cuſano
Villa franca
Ville noua
Aquilo
Rocca de Raſſino
Arca
Campana
Vicaglio
Gambataro
Falaſculo
La Teſſa
Penne
Carignano
Quatro
Alba
Aufidena
Tripallo
Taſalonga
cam
Celano
Lago Celano
pag
de Sango
Caſalri parando
PV
GLIA
Auerſa
Boniano
PIA
NA
na
de Roma
TE
RRA
DE LA
VORA
Anagna
Venafro
Canina
4
8
12
18


38
39
40
Sici
lie
Patti
Lipari
MARE TYR RHENO
Valcano
Stromboli
Piſciota
Piſſa
Ter
Sere
Lauo ro
BA SI LI CA TA
Meſſina
Tropia
Siglio
Rhezo
Paula
S. Lucido
Manthia
Circella
Dimante
Aita
Policaſtro
Melfi
Ter
ra
di
Scalea
Urſomarzo
Reina
Fereddo
Nocera
Bernicaro
Rhezo
Suminara
Agata
Milleto
Terra noua
Mayda
Nicodro
Belcaſtro
Toſenza
Matarana
Caſſane
Alto monte
Salanaria
Gierazzo
Panaria
Nicaſtro
Biſignano
Eſaro
Lauerna
Grotaria
Stillo
Belicaſtro
Roſſeto
Matera
Barri
Mare
Rochella
Caulonia
DI
C. Stillo
Schilacci
Tacina
Cupo
Golfo
Roſano
Taranto
Grotole
di Tara nto
Ioni
Cropani
Cariati
Petelia
TER
OTR
ANTO
Crotona
Galipoli
CALABRIA
Brindiſe


CAMPA
NIA FOELIX
nunc
TERRA LA
BORIS
CAM
PAG
NA DI
ROMA
Lago celano
Ops
ABRVZ ZO
PVG
LIA
PIA
NA
BASI
LI
CA
TA
Aucrſa
S. Vincent
Pretoria
Sepino
Verito
Ferentino
Atina
Venafro
Montella
Sora
Aquino
Maſtrato
Caſala rbore
Bonuento
Tripalta
Ariano
Mariano
Teleſe
Vturaria
Ferracina
Seſſa
Fondi
Conca
Audllino
Seſula
Maris
Tyr
rheni
pars
Gaieta
Capua
Nola
S. Martino
Napoli
Sarno
Seuerino
Golfo de Napoli
Nocera
Caua
Geronda
Almalfi
Sere
Salerno
Capri
Peſta



SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
LIGVRIA
nunc
ORA GENVENSIS
Miliarium Italica
6 12 18 24
INSV BRI
AE
PARS
PE
DE
MON
TIVM
MON
TE
FER
RA
TO
LI
GV
RIA
DVCA
TVS
PLA
CENTINI
PARS
TVS
CIÆ
PARS
pro
uin
ciae
pa rs
MARE
DI
GE
NOA
Casal S. Vas
C. S. Joan
Cremona
Bozolongo
Volpiano
Vogera
Placenza
Turino
Villa noua
Alexandria
Faragna
Pinarol
Niza
Fornono
Cargnano
Villa franca
Saluzo
Alba
Cherasco
Prato
Corte milia
GENVA
Sauona
Ceua
Lanagno
Nosi
Serezana
Briga
Final
Taggia
Arbonga
Niza


Septentrio
OCCIDENS
ORIENS
BRES
CIA
NO
PARS
Brescia
Lenado
Ville franca
C. Nogarola
Goit
MANTVA
Chast: Zisre
Montanara
S. Martin
Borgo forte
S. Martin
Caneto
Torollio
cre
mo
nese
Sabio
Guastalda
Casal maiore
Viadano
Brisello
Cremona
Ducatus
Parmensis
Parma
Par
Pars
ve
ro
ne
se
Villa Fontana
Scala
Sanguene
Nogiaza
Porto
Legnano
FER
RA
RESE
Lendenara
Tartara flu
Figarola
Ferrara
Ostia
Reuer
Gonzaga
Mirandula
Concordia
Crostola flu
Panara flu
Lauino flu
Rheno flu
RO
MAG
NA
MANTVA
DVCATVS


GOLFO DI VE
NETIA
Olim Hadriaticus
Sinus
Metaurus flu
Ceſano flu
Eſino flu
ANCONA
Potentia
Cenți
Terno flu
Letamorte flu
Teſmo flu
Tronte flu
Peſaro
Baſtica
Senegala
Oſmo
Recanati
Macerata
Fermo
Regni
Neapolitani
limes
Vrbino
Pergulia
S. Chirico
Potentia flu
Centi flu
Terna flu
Teſmo flu
Romagna
Tolentino
Aſcoli
Fabriano
Gualdo
Potentia flu
Centi flu
Camerino
Rocha de varano
Apennini montes
Cereto
MARCHIA
ANCONITA
NA
OLIM PICENVM.


MARCHIÆ TARVISINÆ
Brixen
Brixen
TI
Epis
co
pa
tus
FORI
Peytelstein
S Martin
LVLI
PA
RO
LEN
Boczn
SIS
CO
M
I
T
A
Cordouol
Plasper
Pund
Can fluuius
Sacil
Purcia
Pordanon
Brugnera
La chiusa
Sona fluuius
Ceneda
S Martin
Soligo
Scalla
Feltre
Quer
RS
Motta
Griano
Fonzas
Hospital
Trento
Borgo
Pheno
S. Leonad
Couolo
Asolo
Teruiso
Caua
TVS
Lenego
Rouero
Trigno
Vi cen tini
Bassano
Pergamzol
Lisola
Castel fran ca
Mestre
PARS
Montechio de precalei
pa rs
Cittadela
Vicenza
Venetia


OCCIDENS
ORIENS
MERIDIES
SEPTENTRIO
PEDEMONTIVM
SABAVDIAE PARS
PROV. DEL PHINATVS PARS
VINCIAE PARS
DI WAL LIS PARS
DVCATVS MEDIOLANENSIS
MONFERRA TO
PARS
PARS
Briancon
Gardone
Perosa
Luserno
Noualese
Bozolengo
C. forte
Pinarol
Amonte
Arezole
Castillion
Augusta
Martinach
Luneburgo
Monaco
C. Doria
Villa fran
Turino
Inurea
Aiazza
Vintimilia
Carenza
Varantasco
Tremagnola
Volpiano
Pont de S. marti
Taggia
Villa noua
Biela
S. Lorenzo
Cherasco
S. Gioua
Alba
Aste
Cortemilia
Domo
Vercelle
Arbenga
Aich
Arona
Lago Maior
Finale
Sauona
Alexandria
Angiera


PERUSIA
Scala milliarium italicoru
2 4 6 8 10
4
FIOREN
TINO
URBINA
TO
ORVIETO
Occidens
Oriens
Lago de Perugia
Polveſe
S. Franſisco
Caſt: Aretino
Cortona
MS: Maria
Sorello
Pietra mala
Borgetto
Vagliano
Pietrignano
Caſtialioni
Corano
Porto
Philippo
Canta gallina
Torre pantano
Torre oriando
Scorna becco
Macereto
Pietraſitta
Monte lione
Greppeto
Migliano
Monciano
Caſtialione
S: For
Philonico
Freddo
Mondaleto
Badia
Agelio
Saiuino
Monte
S. Caſtiano
C: Rignone
Freggio
Pomeggio
Halora
Frana
Murlo
Canneto
Rantella
Perugia
S: Maria: no
Boneggio
Olmeto
S: Fortunato
S Pietro
Mortella
Papiano
Caſalina
Col di pepi
Tevere flu
Piotramlina
Torricello
S. Chriſtiana
Moleſchi
Caſt: fidato
Farneto
Pilonico
P. di val Ceppo
Torſe vano
Chiaggio flu
Poggio di Satto
Val fabrica
Aſsiſi S: Franciſci patria
S: Maria
Canaia
Limignana
Poggio Herculano
Schiva nola


REGNUM NEAPOLITANUM
Anno 1660
Campagna di Roma
Aquila
Thieti
Semona
Sara
Viterbo
Teverone fiu
Bracciano
Roma
Porto
Ostia
Terra di lavoro
Bonia
Termole
Aprino
Babuca
Antio
Fondi
Seſſe
Trora
Pelagoſa
Antivari
Budoa
Gimnaſi
Veſtice
Caprine
Golfo di Venetia
Golfo Lodrin
C de Durazo
Durazo
Trane
Bari
Monopoli
Basilica
Scalpe
Capua
Napoli
Tauello
Rivo
Calabri
Amalfi
Chireſa
Seren
Pano
Palmarola
S Martino
Ventiene
Pontia
Samigo
Iſchia
Capri
Taranto
Barri
Brindisc
Valona
Ragusca
S. Petro
Otranto
Castro
Occidens
Piſciota
Bonia
Policor
Galipoli
Crapi
Mar Thirreno
C Foreſto
Aita
Belvedere
Cetraro
Guardia
Paulo
Scalca
Tarsia
Lupo
Rosano
C Lize
Ciro
Cariata
Crotona
C S Maria
Mar Ionio
Cropani
Schilaci
Alicur
Salini
Panaria
Felicur
Lipari
Vulcano
Tropia
Grottare
Stillo
C Stillo
Rochella
Scala Milliarium Italico
Bajaco
Rhezo
Coronia
Meſsano
20 40 60



LOMBARDIAE
Apennini mon tes
THVS
CIA
Potremoli
Ponte aſiue
Bibiena
Tiberis
Piſtoia
FIORENZA
Monzano
Sereſana
Laſtra
LVCA
Arezzo
S.Giognne
Pietra ſanta
Bientina
Cortona
Siena
Perugia
Lune portus
Piſa
Volterra
Chiana flu
Meliora inſ
Fratta
Oruietto
Luſignana
Aquapenden
Gorgona
Mare
Bolſena
Saſetto
Mon: friaſ
Viterbo
thuſcum
Capraia
Sive
Ferneſe
Baſſano
Piombino
Albegna
Tyrrhe
Formiche
num vel
in
Elba olim Ilua
ferum
Gigio
Braciano
Roma


Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Romana
MAR
CHI
AE
Gieſi
Macerata
ANCO
THVS
C de Caſtello
Fabriano
Seruigliano
Camerino
NITA
Caſtiglione
Fratta
Aſſiſi
Serawalle
NE
Cortona
Perugia
PA
Cainranza
Spoleto
Caſtiglioni
RS
APRV
CIAE
Todi
Negra flu
Oruieto
Narni
Amelia
Riete
Aquila
TY
Teure
Farfara
Ciuita
Caſtellana
PARS
Viterbo
Teuerone flu
cam
Celano
PARS
Tiuoli
pagna
Lago Celano
di Roma
Tiuino
VMBRIA
SPOLE
TINVS
DVCATVS


oriens
Stagno orbino
Piemorto
Campopolo
Stagno
Spiagia
Picconare
Baſtia
S. Colonban
Noza
Canelle
Pieue
Pietraalba
S Fiorenzo
Nebio
Paludo
Nuſareno
Corte
Alcuia flu
Solenzara
S. Criſpiano
La Chiapa
Bonifacio
Portoufiloni
Agrata
Loani
Balagna
Laciolo
Pino
Niolo
Monaro
S. Spirito
Vimia
Tarti
Spano
Araſſo
Iſtria
Figari
Inſola roſſa
Calui
Balagna
Dagio
Falone
Polo Porto
Gale ria
Laiazzo
Zinatri
Moneſſi
CORSICA
occidens
Miliaria Italica
10 20 30 40


SARDINIA
Oriens
Occidens
Miliar Italica
10 20 30 40
Tolara
C. Carallo
Sarda
Villapetres
Longeria
Valentino
Euveric
Osuli
Lico
Lilaraba
Montagno
Obia
S. Lucia
Possata
Faus
Castra
C. Felum
Valentin
Sciere
Galea
Pessa
Aquilastro
Surula
Saronesa
Tortoli
Albaraso
Casara
Quaia
Sterge
Sarabis
Valerio
Argoleso
Cedro flu
Sepio flu
Carbonare
S. Petro
Colango
Balao
Calari
Decemo
Villa noua
Lucou
Sorris
Gestori
Sarlap
Macouer
Area Sa
Calari flu
Quart
C. Pula
Serpentora
C. Ferrato
Coltelazo
Sarach
Chia
Lsagaralia
Tolar
Marsaga
Domus noua
Palma de soso
Vaca
Toro
C. Colar
Palma de Sala
S. Petro
Sora
Ardena
Clauque
Puagri
M. Leoni
Surula
Corneto
Manila
Girapala
Bossa
Nora
Funim
Torre
Sassari
Falcone
Lange
S. Iusta
Orgeia
Chiese
Neapoli
Pisanco
Oseo
Corto
M. Forte
S. Torra mo
Po
Marazo
Conte
C. Cassa
Argentur
Asinara


Scala milliariū
25
50
Septentrio
MARE
TYRRENO
Vulcano
Orlando
Milazo
Faro
Patti
Lotydaro
Meſsano
La scaletta
C di Gallo
C Rogerbino
Cifalu
Caroma
Tuſa
St Saluadore
S Castaldi
Mondelo
Palermo
Termini
Gerace
Capizzi
Torreorice
Talormia
Motta
Maretimo
Leuenzo
Amar
Conglione
Cattamo
Sclafani
Mona
Randazzo
Trapani
Petralia
Traino
Aterno
Sciſo
Catania
Prizzi
Rachalniato
Sauiano
Marſala
Racalbuto
Paterno
C Boco
Portana
Chuſa
Castro
Erma
Golfo di Catana
Mazara
Ferra
Xaca
Siculiano
Plazza
Aiduni
Labroco
Augusta
Tre fontane
Petraprecia
Lo Mazario
Liontini
Giorgonti
Lisola di li Magneſi
C Bianco
Noto
Butera
Jaratana
MARE
Terrauuouo
Calatagironi
Saraguſa
Montichiaro
Camarana
Modica
Leucata
Raguſa
SICILIA
AFRICO
Meridies
Rendicara
C Palho
C Paſsaro



MEDIOLA NENSIS DVCATVS
Baſel
Tor de Vologno
Venetia
Lion
Septentrio
HELVETIAE PARS
Bilinzana
Lugano
Rhodanus flu
Lago de Como
Lago Maior
Lecca
Lago
MARCHIAE TARVISINE PARS
Como
Bergamo
Breſſa
PEDEMONTANA
Arona
Legnan
Berlaſina
MILANO
Crema
Mantoa
Nouara
Lode
Ollius flu
Vercelle
Caſtiglion
Pauia
Ticinus flu
Pitzigtion
Cremona
Caſal
Creſentinn
Alexandria
Piacenza
Caſal maior
TY
Aſta
PARS
Turin
Tertona
PIACENZA
Parma
PARS
Genoa
Auronon
Roma


Montisferrati Marchionatus
Turino
Cauigliano
Stremagnola
Volpiano
Chier
Po flu
Chiuas
Iſola bella
LI
PEDE
MON
TY
PARS
GV
RI
AE
Cherasco
Ciglie
Taner flu
Villa noua
Creſentin
Ceua
Belbe flu
Alba
Aste
Costanzana
Cortemilia
Bormia flu
Belbe flu
Casal S. Vas
Nizza
Incisa
Taner flu
Noli
Vai
Sauona
Arbrezolo
Aich
C. del Pozo
Giaroli
ALE
XAN
DRI
Alexandria
IN
SV
BRI
AE
Sartirana
Mare di Genoa
PARS
NO
Tortona
PARS


ORVIETVM
Anno 1600
SENESE
occidens
oriens
Meri dies
Milliaria Italica
4
8
12
Paglia fluuius
Fiore fluuius
Teverë fluuius
Tevere fluuius
Rodicoſano
Chiuſi
Citone
Caſtello de Pieve
Migliano
Monte Giore
Poggiovalle
Celle
Caſalia
Fratta guida
Marſciano
C di Fiore
M. Freddo
M. Lione
Il Dogo
Triviano
Parrano
S. Marino
Oſteria
Fuſtino
La Maſtaia
Sforſeſca
Torreno
Bandita del monte
Papignano
S. Fiore
Proceno
La Salla
Morrano
S. tendano
La Pottella
Laiano
Sorano
Villa mona
Caſteb lana
Aquapendente
C. Guiſcardo
Rocca di Mileto
Latera
Orvieto
Ponte della adunat
Borgetto
S. Lorenzo
Baſchi
Pitigliano
Biſenzo
Bolſena
Caſtigliano
C. Ribello
Montechie
Bicentino
Lago di Bolſena
Farneſe
Martana
Cervara
Fenale
Civitella d Agliano
S. Valentino
Marta
Bagnorea
Monte Fiaſcone
Rivo chiaro
Caſtro
S. Lonardo
Graſignano
Agnarca
Viterbo



PARMENSIS PLACENTINIQ. DVCATVS DESCRIPTIO



Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
FLAMINIA nunc ROMANDIOLA
GOLFO DI VENETIA
DVCATVS MANTVANI
Mantua
verona
Montagnana
Legnana
Cauarzero
Tartara flu
Arri
Argna
Ferrara
Volane
Volane flu
Po fluuius
Comachio
PARS
Concordia
Miramdula
Regio
Modena
Bononia
Rheno flu
Rauenna
Ceruia
Jmola
Faenza
Rimama
Catolica
Pesaro
Cesena
MARCHIAE ANCONITANAE PARS
Vrbino
Angeloin
THVSCIAE PARS
Prato
Scala Miliarium
5
10
15
20


FORVM IVLY Friuli
Villach
CARINTIAE PARS
CARNIOLAE PARS
PARS
Dogna
Lubiana
Ponte a Ella
Tolmino
Guidal de hillum
Venzon
MARCHIE TREVIGIANA
Feltre
C. Nuoua
S. Dainel
Guidale
Goritia
Dobordo
VDENE
Spilenbergo
Ceneda
Sacile
S. Vido
Aquilea
Trieste
Motta
Porto grua
Latisana
Taruiso
Capo de Istria
Isola
HISTRIAE
Pola
Hamago


Septentrio
Golfo de Trieſte
Cauo de Iſtria
Iſola
Piran
Dragogna
Ponta di Saluori
Humago
S Pelegrim
S Zorzi
Citta Noua
Hemonia rnınada
Cerue re
Molini
Petrapeloſa
Soſirgo
Saci
Brea
Sauiganco
Gradina
Mutigna
Baſtia
Viſinal
Galigagna
Coſliak
Coſliak lacus
Piſin Noua
IST RI A
Quieto flu
Wexenſtei als Baſtia
S Lorenzo
Creſan
Valla
M de le Bo te
Albona
Peroſina inſula
Faraſina
Sniela
Po Boſolo
Parenzo
S Nicolo
GOLFO DI VENETIA
S Andrea
Adiana
C Nouo
Porto Longo
Porto Budo
Merlette Inſule
Modolin
Sanſig
Galiota
Murazz
Pola
Olmo
Iſola de Breoni
Doſoror
Meridies
ISTRIA
2 4 6 8 10 12
Miliaria communia italica


LATIVM
nunc
CAMPAGNA
DI ROMA
Caſtellana
Ariana
Nepe
THVS
Yſola
S. Poli
Spo
letini du
catus
pars
Nomento
APRV
TII
Paterno
Alba
Auſindena
PARS
Tiuoli
Sarracineſco
Gaiana
Lago
de Celano
Celano
Peſerano
Pilaſtrina
Caue
Bordella
CIAE
Roma
Auerſa
CAM
Briacciano
Mola
Alatro
Caſtel Matheo
Cora
Ferentino
Atina
PARS
Riccia
PANIAE
Segna
Babuco
Oſtia
Ciſterno
Sarmoneta
Veruli
Tractta
MARE
Merulo
Ardea
Antio
Roſuarga
FOELI
Aſtura flu
Sezza
TYR
Caſtro
Piperno
CIS
S. Lorenzo
Aſtura
Terracina
RHE
Fondi
Mulo
Formiae
rouinate
PA
RS
Gaeta
Sino
NO
S. Felicita
Chaſtello
Formiano
5
10
15
20

SPECIAL 95-B
105

THE GETTY CENTER
LIBRARY

GREEN DRAGON
BINDERY
C.A. & W.W.
Carpenter,Jr.
Shrewsbury, MA